ISAGOGE AD JUS CANONICUM SICULUM. AUCTORE D.RE EMMANUELE LEONE ..

Emmanuele Leone



ISAGOGE

AD

IUS CANONICUM SICULUM

AUCTORE

D.re EMMANUELE LEONE

Olim I. C. Nunc S. T. D. In Sem. Arch. Pan. Antecessore.

T. I.

EXCUDEBAT PANORMI 1819.

Potestatum Permissu)(Philippus Solli.

PETRO
S. R. E. PRESBITERO CARDINALI
GRAVINA, ET VALDINA
ARCHIEPISCOPO PANORMITANO
ET
FIDEI DEFENSORI
IN HISPANIARUM REGNIS

Gratum, Tibi sane, Eminentissime Princeps, ac jucundum debet esse opus, quod Tibi primum nuncupari ab auctore, qui munere tuus est indulsisti. Non quidem ita fore confido, quia magnum et admiratione dignum percensui; scio enim quam exiguum Tuæque Celsitudini impar sit; sed quia ipso argumento, in quo versatur, Dignitati qua

fulges, Regno in quo natus, vivisque, et Ecclesiæ, cui preæs omnino convenit, et acceptum Tibi sit, carumque necesse. Tractat quidem Romanæ Sedis in Ecclesiam Siculam jura, quæ tueri præcipuum tuum est munus, sicut et opus decusque jamdiu fuit tuum. Nam ob diuturnam in Sedem Apostolicam observantiam insignes ad Helvetios, Hispanos Legationes Pius VI. et Pius VII., asperrimis hisce temporibus Tibi commiserunt. Hoc tam insigni munere tanta dignitate functus es, ut Te honoribus, laudibusque Pontifices, Reges, Populique cumulaverint, Teque Fidei Defensorem junctis præconiis consalutarint. Quapropter non solum Pii VII. erga Te promerita, sed tuæ potissimum perspectæ virtutes ad Ostri Romani fastigium evexerunt.

Nunc ad Patriam reversum quid te magis oblectare potest quam vetustissimæ Insulæ Siciliæ dignitatis laus, ac debitus honos, sicut Regum nostrorum, in quos tu, tuique intemeratam servastis fidem, et quorum beneficiis te devinctum fateris, privilegiorum expositio. Quoties enim Victores Nortmanni

nominantur, toties eorum quam maxima in Ecclesiam Siculam diu captivam, et in Sedem Apostolicam sepe laborantem revocantur officia quæ contulerunt sicut vicissim dona, honoresque, quos ipsis Pontifices retulerunt.

Non est denique, cui potius quam tibi totius Insulæ Primati, et Protometropoleos Archiepiscopo incumbit Ecclesiæ nostræ disciplinam tueri, omnemque dare operam, ut Clerici ediscant, ac consequantur. Ipsum igitur operis argumentum tam tuis muneribus conjunctum postulat, ut opus tuis prodeat fultum auspiciis.

Auctor autem, qui primus, et antiquior tui Seminarii antecessor sex supra triginta annos Clericos Latinos, Græcosque in re Canonica, et Theologia dogmatica erudiit, quo potius quam tuo illustri nomine potest illud auspicari. Nec dubito quin tibi, qui tam miti animo, tamque placidis moribus ex Deo frueris, sit acceptum: non enim est optabilius Episcopis, quam præceptorum bene instituendi studium: nec est præceptoribus honorificentius, quam Episcopis placere. Tu igi-

tur Eminentisseme Præsul, et operis et Auctoris patrocinium suscipe, quod tibi uni convenit, tibique opus nuncupat Auctor, Cardinali, Siculo, Archiepiscopo Panormitano de Ecclesia benemerentissimo.

Devotissimus
Emmanuel Leone, et Pappalardo.

PROŒMIUM

Jamdiu optavi Jus Siculum Canonicum, nostræque Ecclesiæ disciplinam a suis profectam initiis ad hæc usque tempora ductam perscribere. Non equidem eo consilio, ut superbientis litteraturæ ambitioni indulgerem, sed ut susceptum munus honestè implerem clericos latinos, græcosque in re canonica universa instituendi. Quod si magna interest sacram Jurisprudentiam, quæ in omnibus Ecclesiis obtinet, ediscere, piaculum certe crederem propriæ cujusque Ecclesiæ disciplinam, jura, et privilegia haud contemnenda negligere. Hæc, quæ tota scribendi ratio fuit, magis ingenium excitabat, quod ne quidem unus ex præclarissimis scriptoribus, qui rerum sicularum vel civilium vel sacrarum monumenta collegerunt, Juris Canonici Siculi corpus ediderit, ut Ecclesiæ nostræ Disciplina sub uno veluti prospectu facillime innotesceret. Ex quo evenit ut Juvenes libentius animum intendant ad jus Gallicanum, Bel-

gicum, vel aliud Exoticum, quod in multis libris explicatum ipsis legere, ac ediscere facilius erit, quam Jus Siculum, quod non adhuc collectum assequi non posse sibi persuadent. Et pudet sane hac nostra ætate juvenes ut plurimum ignorare, quæ vetustioribus sæculis ab ineunte Clericatu tanta sedulitate assequebantur Clerici; nam unaquæque Ecclesia suam habuit bibliothecam, quæ codices sacros asservabat, et Clerici vix adscripti ab Episcopo tradebantur Archidiacono, vel præfecto bibliothechæ, ut sacræ lectioni, et Canonum præsertim propriæ Ecclesiæ incumberent. Hanc praxim in Ecclesia Sicula fuisse testatur Leontius in vita Gregorii 2 Agrigentini, quem a parentibus Ecclesiæ oblatum „ *Patamion Episcopus Donato Archidiacono, et Bibliothecæ præfecto tradidit* „ ita et Ecclesia Africana suum codicem habuit, suaque jura servavit ipsa Cypriani, et Augustini ætate : sic laudabiles consuetudines, suamque disciplinam sub ipso Ambrosio Mediolanenses retinuere; nec aliter Hispalenses, Galli, Germani suos servant co-

dices suisque gloriantur libertatibus; feliciores tamen, quia plures et præstantiores habuere scriptores. Quonam igitur fato nos tam solliciti aliena cupimus scire, et tanta socordia nostra nobis utiliora negligimus? ut etiam non sine dedecore in publicis gymnasiis exoticorum scriptorum institutiones, et aliarum Ecclesiarum politiam tradere cogimur et explanare. Non equidem Siciliensis Ecclesia et fundationis vetustate, et martyrum gloria, et Episcoporum sanctitate, et doctrina, fideique integritate, et in matrem Ecclesiam ejusque Caput reverentia, ac studio inter omnes Italiæ Ecclesias infima fuit, et ingloria. Immo sub Nortmannorum ævo dignitate, divitiis, juribus, et privilegiis Episcopatuum, et Monasteriorum illustrior evasit, ac denique Pontificia Regum legatione omnibus antecellit.

Merito igitur optaveram, ut ad opus et dignitate, et utilitate præstantissimum, aliquis ex præclarissimis scriptoribus, qui res sacras mirifice pertractarunt animum appulisset: sed nescio quonam infortunio, et reipublicæ litterariæ detrimento summi viri, et

exercitatissimi præteriere. Me autem haec animo volventem et impares vires, et rei magnitudo, et monumentorum difficultas, et opinionum periculum a proposito deterrebant, ut ab opere sæpe incæpto sæpius desisterem. Et re quidem vera magnum opus est, egetque exercitatione non parva, omnium sæculorum disciplinam complecti, et mutationes, ac vicissitudines, quæ per diversas ætates obtinuerint, recensere: non enim unum, idemque fuit Jus Siculum Ecclesiasticum; non unum idemque regimen sacrum; non eadem Pontificum, Regumque jura, et regni privilegia. Quamobrem prius quam ad canonicas institutiones accedam operæ prætium est Isagogen præmittere, quæ statum Ecclesiæ Siculæ per diversas distinctum ætates exhibeat, et Juris fundamenta, fontesque constituat, ut facilius prospiciantur rerum initia, incrementa, vices, et complementum. Hanc Isagogen in duas distribuimus partes: prima latinam, græcamque, et saracenicam absolvit aetatem: secunda Nortmannicam Suævam aliasque insequentes quæ Nortmannicam redolent, et ab ea pendent.

Primam igitur ætatem, quæ latina fuit, ab Ecclesiarum exordiar fundatione, ut quid sit certum assequamur, et quæstiones magna contentione exagitatæ solutu fiant faciliores, et aptius ac utilius ordines Episcopatuum adnectere possimus. Inde statum persequar Ecclesiæ nostræ per priora sæcula, et primum persecutiones, et acta Martyrum leviter attingam; non ut historiam contexam, sed ut juventutem admoneam; ne sicut veteres disciplinam ex apogriphis eruant monumentis. Deinde fontes juris exponam, regimen Ecclesiasticum, et jura sacra, et temporalia Romanæ sedis, circa quæ non levia inter nostrates exarserunt dissidia.

Græca Latinam excæpit ætatem, in qua noveris quænam mutationes irrepserint in Ecclesiam Siculam post Leonem Isauricum tam Romanæ Sedi infensum, num ablato Siculo Divi Petri patrimonio Ecclesiam quoque subtraxerit: num novum regimen, et Metropoleon institutionem invexerit, novos ritus, et Græcam disciplinam, vel etiam schisma.

Sicut autem sub Saracensis siluit Eccle-

sia Sicula, ideo hanc captivitatis periodum Graecæ adjecimus; cum pauca prostrant disciplinæ momenta. Animadvertas tantum velim quidquid Juris novi invaluerit in occidente post Carolum M. Siculis sub Græcis et Saracenis ignotum omnino fuisse. Quapropter Jus vetus Canonicum Siculum duabus hisce ætatibus absolvitur Latina, et Greca. Jus novum ad tertiam Nortmannorum ætatem pertinet.

Ævum Nortmannicum captivam Ecclesiam vinculis solutam instauravit, disciplina juribus et privilegiis illustravit, auxit, firmavitque: et hæc una ætas omne Jus Siculum complectitur, et veluti fons et regula insequentium sæculorum habetur, decus Insulæ nostræ, et ornamentum, quo supra cæteras præcellit nationes. Hoc ævum illustrant novum Regnum exorsum, novaque Regum jura et inauditum legationis privilegium, quod Monarchiam dicimus, sepissime oppugnatum et magis per concordata confirmatum, et præstantissimas Leges Regnique constitutio. Non equidem hic ea omnia absolvam ex quibus juris Siculi Capitula coalescunt, sed

tantum expediam in Isagoge novorum Episcopatuum fundationem, ac veterum restaurationem, novumque Ecclesiarum regimen et disciplinam Gallo-Siculam inductam, quænam jura fuerint Comiti ab ipsis Pontificibus indulta ob Insulæ acquisitionem, et quodnam jus sacrum in Ecclesiam Siculam ab ipso Comite Romanæ sedi restitutum, de quo tot schismaticorum græculorum injustæ quærimoniae in Pontifices, et Nortmannos: denique exorta dissidia inter utramque potestatem, ac fædera, et pacta conventa recenseam. Sicut autem disciplina Ecclesiæ nostræ quamvis exinde post Decretalium publicationem aucta, vel immutata in quibusdam creverit ab hoc ævo duxit exordium, et privilegia Nortmannis concessa ad hanc usque ætatem integra pene pervenerunt, ideo jus Siculum Ecclesiasticum jus Nortmanicum appellari solet: nam in sequentibus periodis, ut plurimum jurgia sacra legimus, et post dissidia, jurium restitutionem, quidquid autem mutatum fuerit sive in Isagoge, sive in disciplinæ capitulis recenseam.

Quarta dein quæ Svæva exurgit ætas, famosa extitit. Nam Suævus Fridericus Imperator magnus plane vir sed varius in vita varia subiit discrimina, et sibi non constans magna excitavit inter sacerdotium, et Imperium dissidia, magnaque perpessus est, donec reconciliatus obiit, sed quamvis extremam vitæ partem sacrorum Ecclesiae jurium violatione dehonestaverit; initia tamen virtutibus, religione, ac litteratura illustravit: ipse enim Pontifices eximia reverentia prosequutus est, disciplinam Ecclesiasticam fovit; hæreticos Legibus coercuit, pænisque insectatus est, rempublicam litterariam coluit, virosque doctrina præstantes adscivit, ac muneribus cumulavit, Legesque, quas ediderant Nortmanni, quasque et ipse tulerat, in codicem redegit: adeo ut ipse unus ob varium vitae genus totam hanc Suævam ætatem absolvit. Quidquid igitur sub ipso notatu dignum inveniam, sive Jus Normannum, quod retinuit, quodque nimis extendit, et ultra fas auxit; sive Leges codicemque Siculum, et temporum opiniones, ac dissidiorum causas, si-

ve aliud quidquam, quod ad majorem juris Siculi explicationem possit inservire, partim in Isagoge expediam, partim ad Capita juris remittam.

Quintam Andegaventium ætatem Scriptores Siculi silentio prætereunt, nec quidquam credunt colligere posse, quod veterem Regni dignitatem, aut indulta Ecclesiæ privilegia redoleat sub Carolo, qui tantum quod sibi utile inhiavit, nostraque omnia neglexit.

Cum vero illuxit sextum Aragonentium ævum post tot rerum vices, Nortmannorum jura revocata sunt, quæ et sub Castellanis, et sub Austriacis retenta sunt usque ad concordatum proprie Siculum habitum post durissimum totius regni interdictum inter Benedictum XIII. et Carolum sextum Imperatorem et ad nostra usque tempora producta. Sed animadvertendum est quoad hasce ætates, inducto novo jure Decretalium, exceptis potioribus Legationis articulis, quam tuebantur reges, cætera Juris Canonici capitula cum jure communi fuisse composita, nisi aliud ob capitula regni, ob pragmaticas sanxiones,

ob vetustas consuetudines, et praxin Ecclesiæ nostræ obtinuerit. Hisce sæculis memoratu sunt digna duo concilia, quæ metropolitica dicerem, Panhormi et Messanæ celebrata ad corrigendos clericorum mores, ex quibus status illius ævi cognosci potest quoad vitam et honestatem clericorum. Sub Austriacis non negligendam existimavi Concilii Tridentini publicationem, et dein concordiam ita dictam Alexandrinam, sicut frequentem synodorum celebrationem, quæ cæptam a Tridentino reformationem prosequutæ sunt. Denique Jura legationis Nortmannorum ad ævum usque quo vivimus Borbonicum pervenerunt, et Tridentini disciplina etiamnum obtinet in praxi, nisi obstet jus nostrum jamdiu concessum et vetustissimo usu confirmatum.

Hæc quæ hacteuns innuimus sua ipsa magnitudine laborant multo magis si perpendas monumentorum difficultatem quæ me etiam a tanto labore detrahebat. Hæc tamen difficultas non accipienda velut omnium monumentorum inopia, sed quatenus in quibusdam periodis res deficiant, in quibusdam ma-

gno labore colligendæ sint. Sic igitur trium priorum sæculorum argumenta si qua sunt vel ab exterorum testimonio vel a vetustissima patria traditione referuntur. Post redditam Ecclesiæ pacem nonnulla extant apud exteros: Vandali enim, post Africam Siciliam invadentes, omnia ferro, igneque devastarunt; si quæ autem illorum excidium evaserunt, vel quæ postmodum pacifice ad octavum usque sæculum obtinuere, ex quibus gravia disciplinæ capitula hausimus, omnes scriptores nostri collegerunt, ac explicarunt. Fatendum tamen est præ omnibus de fundatione et regimine Sicularum Ecclesiarum saniori consilio Cantelium scripsisse, sicut de martyribus, et persecutionibus Papebrochium apud Bollandistas, quos prosecutus est Joannes de Joanne probatissimus vetustatis censor. Hic sane magna reipublicæ litterariæ utilitate, sincera Latinæ et Græcæ ætatis diplomata, quibus adnotationes selectissimas, ac dissertationes apposuit, in codicem redegit, qui proprie codex Canonum Siculus dici potest. Cuncta vero et satis ampla, quæ Gaetanus, Pirrus,

aliique magni viri memoriæ posterorum prodidere quoad primam epocham mendis scatent et vera mixta falsis indistincte continent, pro dignitate tamen laudandi sunt auctores ipsorumque nævis parcendum, quia primi silvam ingressi difficillimam viam aliis aperuere.

Non omnia græca exemplaria ad nos pervenerunt nam Saraceni Siciliam aggressi cuncta sanguine atque funeribus impleverunt, Ecclesias, earumque exedras exterminarunt; hinc plura autographa amissa quæ in Bibliochecis servabantur, et ipsæ sanctorum vitæ a coævis biographis latine scriptæ, et in græcum versæ idioma, non sine vitio supersunt.

Sub Nortmannis autem non quidem monumentorum inopia laboramur; magnam enim copiam magnus nobis Pirrus exhibuit in notitiis Ecclesiarum, aliique præstantes eruditione viri, sed non sine labore ex allatis diplomatibus colligendam. Plura quoque suppeditant Ecclesiarum Tabularia, quæ manuscripta custodiuntur Panhormi in Bibliotheca Senatoria. Pauca sed prætiosa extant in Cronicis a Carusio editis; quia stilo nimis pres-

so, et ægeno scriptores illi gesta narrabant. Hæc omnia veluti codices juris Canonici Siculi pervolutavi, et quidquid ad rem meam pertinet meum feci. Piaculum quoque duxi scriptores alienigenas negligere, ex quibus non pauca, quæ nostra illustrant, scitu digna excerpere juvat.

Fateor tamen plura periisse diplomata, et quidem utillima, hujus ævi ob Archivii Regii naufragium sub anno 1400. sed ex his quæ supersunt satis et cognosci, et colligi potest disciplina Nortmanna et Sueva: quoad insegüentes ætates scriptoribus non deest rerum copia. Ex hisce colligitur difficultatem in his rebus exquirendis ex duplici causa oriri 1. ex quodam monumentorum defectu sive ob barbarorum excidium, sive ob temporis injuriam 2. ex defectu collectionis, rerum enim congeries hic illic dispersa jacet, et necessario expostulat ut in ordinem redigatur, utque studiosa jüventùs facilius assegui possit Hanc mihi proposui magnam exercitationem quam faxit Deus ut compleam et in rebus Siculis versantibus utilis essem: sin minus hoc

opus exoptasse ac deliniasse mihi decorum.

Denique res ipsa quam aggedior explanaturus, meum quidem animum quadam incertitudine sollicitum angebat ut me ipsum a suscepto labore sæpius averterem, tanta enim opinionum difficultas aliquando est orta, tamque gravia inter sacerdotium et Imperium dissidia exarserunt, ut in constituendis Pontificum, regumque juribus et privilegiis, facile, ut assolet, in scillam incidant, caribdim vitare cupientes. Sed sicut nostrorum Regum jura potiora ex Romanorum Pontificum concessione exorta sunt, et sæpius concordatibus confirmata, hinc bene expositis privilegiorum originibus, non tam facile oriri potest culpabilis gratiæ suspicio scriptoris blandientis quasi audeam quod absit de una vel altera potestate male sentire.

Ego enim ab ineunte ætate utramque potestatem revereri didici, et Juventutem mihi traditam instruendam semper docui, quæ sunt Dei Deo dare, et quæ sunt Cesaris Cæsari. Quapropter hoc opus auspicaturus quæ scripsi, quæque scripturus sum judicio Ec-

clesiæ submitto; et si aliquid minus rectum irrepserit, improbo, ac detestor; parique animo sententiam Divi Augustini meam facio „ Si aliqnid vel incautius, vel indoctius a me positum est, quod non solum ab aliis, qui videre id possunt, merito reprehendatur, verum etiam a me ipso; quia et ego saltem postea videre debeo, si proficio, nec mirandum est, nec dolendum, sed potius ignoscendum, atque gratulandum, non quia erratum est, sed quia improbatum. Nam nimis perverse se ipsum amat, qui et alios vult errare, ut error suus lateat. Quanto enim melius et utilius, ut ubi ipse erravit alii non errent, quorum admonitu errore careat: quod si noluerit, saltem comites erroris non habeat „ Epist. 143. ad Marcellinum num. 2.

PRIMA ÆTAS LATINA
SICULARUM ECCLESIARUM
ORIGINES

Cap. I.

§ 1.

Ecclesiæ Siculæ fundatio

Primordia Ecclesiæ Siculæ satis obscura sunt, et ad ea attingenda vel nulla suppetunt monumenta, vel ea quæ circumferuntur magis fabulis decora sunt, quæ tamen aspernari piaculum duxit, vel scriptorum nimia pietas vel inconsultus Patriæ amor, nam sibi antiquitas hanc tribuit veniam Ecclesiarum exordia sicut Urbium augustiora facere, et conjecturis nimis indulgendo ac traditioni venerandum Apostolicæ Ecclesiæ nomen illi tribuere quæ tertio sæculo, aut insequenti ortum habuit„ media ætate, inquit Launojus (in Dissert. ad locum Sulpitii Severi,) orta est inter Ec-

clesias super antiquitate originum suarum contentio, et certa quædam æmulatio, quæ fecit ut cum simplicem veritatem ultro oblatam facile proferre poterant, inquit Damianus, sategerint ut mendacia cum labore confingerent „ sic igitur omnes pene vetustiores Ecclesiæ Siciliæ et Italiæ susceptæ fidei parente gloriantur Apostolo Petro, et ejus in Siciliam adventum ut plurimum scriptores nostri exploratum habent, et in suam quisque trahit Ecclesiam, ut vix reperiatur una vel altera quæ ab Apostolo Petro, vel apostolicis viris non dicatur instituta: quapropter sicut Tauromenitani, teste Papebrochio, suo gloriantur Pancratio a D. Petro in Siciliam misso, ita pari æmulatione Siracusani Marcianum, Catanenses Beryllum, Messanenses Bacchilum, Agrigentini Libertinum, et suum Panormitani quem ignorant primum Episcopum ad ævum Apostolicum extollunt. Vetustissima tamen et universalis semper traditio fuit Divum Petrum Siculam Ecclesiam fundasse et primam lucem nascentis Religionis primo sœculo non media ætate Siculis illuxisse ex-

ploratum est penes Græcos et Latinos Patres, quorum testimonia reperies apud Gaetanum in Isagoge et Joannem Joannium in Diss. ad calcem eod. Dipl. Sufficiat nobis Unus Innocentius primus in Epist. ad Eugubinum Episcopum „ In Siciliam , insulasque interjacentes nullum instituisse Ecclesias nisi eos quos Venerabilis Apostolus Petrus aut ejus successores constituerint Sacerdotes „

§. 2.

Episcoporum Series

Scriptores igitur nostri ingenio quidem et eruditione præstantes suarum Ecclesiarum Episcoporum seriem tradidere et acta martyrum et Sanctorum historiam, quibus successio episcopalis ut plurimum innititur explananda suscepere; sed hoc unum ipsis studium fuit suam Ecclesiam Apostolica institutione, martyrum sanguine, et metropolitica dignitate fulgentem ostendere, parum tamen fuere solliciti num sinceris vel suppositiis monumentis volumina implerent cum non adhuc in Sicilia critices studium excoleretur. Præcæteris

notatur Christophorus Schobar ob Siracusanorum Episcoporum cathalogum ex mss. codice hujus Ecclesiæ, qui utinam tam solidus quam artificiose compositus teste De Angelis l. 3. annal. § 4. num. 5. Ita Messanensis Ecclesiæ Episcopis enumerandis incubuit Morabitus, cujus opus incæptum prosequutus est Stephanus Maurus ex suppositis Epistolis Zephirini et Eutichiani Pontificum quos jure carpunt eruditi v. De Angelis l. cit. num 3. Albertus Piccolus, De Angelis aliique saniores fuere in confutandis aliorum Ecclesiarum initiis, quam in propriæ Ecclesiæ primordiis vindicandis. Omni existimatione dignus habendus P. Gaetanus et operum multitudine, et eruditione clarus, sed nimis antiguitati indulsit, et veterum sæpe figmentis in constituendis Ecclesiarum originibus, et martyrum actis pepercit. Omnes antecelluit magnus sane Roccus Pirrus, qui Sicilientium Episcoporum successionem ad ultimam usque ætatem prosequutus est, et quamvis felicior fuerit post Ecclesiæ Siculæ restaurationem a Nortmannis, quam in ejus fundatione ab Apostolis,

vir tamen summus, et de republica litteraria benemerentissimus, cujus maxime nævis parcendum, et quia duram provinciam aggressus est, et quia nullum præter seipsum habuit magistrum. Post Pirrum Cantelius alienigena præ omnibus selecta eruditione et accurato judicio origines nostrarum, et Italiæ Ecclesiarum explanavit; cujus vestigia pressit Joannes de Joanne Tauromenitanus in exponendis Siculorum Episcopatuum primordiis verus et ipse aniiquitatis censor, et omni genere litteraturæ excultus. Huic in animo erat sincera omnium sæculorum monumenta in unum veluti codicem redigere; sed res ex voto non cessit: nam editus primus codicis Diplomatici tomus ipsi odium peperit, invidasque turbas excitavit, et secundus tomus, qui jam sub prælo erat fato misero, nisi dicam æmulorum invidia, periit magno reipublicæ litterariæ detrimento. (A) Ipse ve-

(A) Nota. Hujus præstantissimi viri dum captus gloriola quadam amissum codicem inquirebam, non sine diuturno nec parvo labore opuscula quædam mss. inter volumina legalia latitantia inveni, et distintiori loco reposui: aliam videlicet de origine Siculorum Episcoporum dissertationem; de Martyrologii Siculi correctione: Diplomatum

ro ob prætium operis et juvenum profectum quæ saniori judicio Cantelius, Bollandistæ, Ioannius nostriquæ Siculi exposuere in compendio expediam.

§. 3.

Ecclesia Tauromenitana.

In tanta scriptorum discordia et monumentorum inopia Institutionem Ecclesiarum Sicularum auctoritate suffulti recentiorum breviter aggredimur Exordiar igitur ab Ecclesia Tauromenitana pro qua certiora creditur superesse monumenta Acta divi Pancratii ab Apostolo Petro in Siciliam missi Evagrius, ejus discipulus et testis coævus scripsit, quæ si superessent certos nos facerent de Apostolica hujus Ecclesiæ fundatione sed incuriosa vetustas amisit, et quæ extant omnium eruditorum judicio sunt spuria et post medium ævum conficta. Si verum tamen esset quod veteres Siciliæ Patres qui Pancratium celebra-

collectionem ad Religionem S. Joannis Melitæ pertinentia: Historiolam Ecclesiæ Tauromenii: ejusdem urbis antiquiquitates: pleraque alia miscellania haud magni momenti alteri legali inserta volumini, quod littera græca ω signavi quia amplius in mea potestate non habui.

runt acta sincera præmanibus habuerint inficiari non posset quin Tauromenii primo Christi sæculo Pancratius Episcopus et Martyr floruerit missus a D. Petro et ab Urbe florentissima ea ætate Idolatriam profligaverit, fidem invexerit, et primam Episcopalem sedem instituerit: sed hoc omnino exploratum non est, nec indubia eorum testimonia pro aliis Ecclesiis experiuntur eruditi, fortassis quia patres illi in encomiis communi et universali traditioni sese obtemperaverint. En ut loquitur Cantelius in Hist. Urbium Metropol. p. 3. Diss. 5. c. 8. de Episcopatibus Siciliæ „ Inter Episcopos principem locum obtinet sanctus Pancratius beati Petri, ut peribent, discipulus „ attamen Bollandus die 3. Aprilis probat Pancratium ab Apostolo Petro ordinatum et in Siciliam missum 1. ex vetustissimis martyrologiis Jeronimi, Usuardi, Adonis, Notcheri et aliis ad plurimarum Ecclesiarum usum conscriptis 2. ex libris liturgicis, et Sinaxario mss. parisiensi „ Hi duo (Petrus et Paulus) impositis manibus consecrarunt Episcopos Crescentem Galatiæ, Mar-

cianum Siracusarum, et Pancratium Tauromenii „ 3. ex vetustissima traditione et cultu quo Siculi post hominum memoriam Pancratium Ecclesiæ nostræ veluti patrem coluerunt 4. denique ex auctoritate veterum Siculorum Patrum Sofronii, Theodori Studitæ Josephi hymnographi et Gregorii Ceramæi quos etiam consule penes Joannem de Joanne in Diss. 1. ad calcem codicis et in mss. ex quibus Ceramæum cui maxime innititur Bollandus seligimus Hom. 57. „ Sanctus Pancratius sicut memoriæ prodidit qui de ejus rebus gestis historiam scripsit Evagrius, ab Oriente profectus et principis discipulorum manibus sacris initiare potentibus Episcopus creatus in nostram hanc Insulam missus est cumque ad hanc civitatem Tauromenium advenisset primum omnium abominationibus Demonum eam expurgat et prophana conterit simulacra „ cæterum animadvertendum est quod si ex omni antiquitate, certum sit D. Petrum Ecclesiam Siculam fundasse, per quem alium Episcopum si non per Pancratium constituit? Cum pro aliis minus certa sint argumenta

attamen vel adventum Divi Petri in Siciliam vel ipsius Petri missionem ad nos alicujus Episcopi nec Innocentius 1. asseruit neque exploratum est nisi quod ex vetusta traditione ita creditum: sed hæc traditio, quam et martyrologia et scriptores veteres sequuti sunt etiam aliis favet Ecclesiis pro quibus falsa vel dubia suppetunt monumenta.

§ 4.

Syracusanum Episcopatum Christophorus Scobar in Cath. Ep. Syrac. non solum adævum Apostolicum evexit, et B. Marcianum ab ipso Petro consecratum sustinuit sed etiam Syracusas secundum totius orbis Episcopatum obtinuisse effinxit. Roccus Pirrus in not. Ec. Syr. Octavius Gaetanus T. 1. ss. Sicul. et in Isag. c. 14. Bollandus in vita S. Pancr. loc. cit. hujus etiam Episcopatus Apostolicitatem vindicarunt auctoritate ducti 1. Actorum mss. S. Marciani quæ Siracusis asservantur ex quibus desumptæ lectiones Breviarii Gallicani sed ea recensiores critici respuunt quia cor- Syracusana

rupta et erroribus scatent et veterem ætatem non redolent secundo Romani martyrologii sed hoc Syracusanis scriptoribus et Maurolici auctoritati innititur, immo vetustissima martyrologia Bedæ vsuardi aliorumque non referunt: tertio Leonis Papæ diplomatis et sacrorum rituum Congregationis: sed certe in rebus Historicis non definiunt quæstionem 4. Breviarii Gallicani quod notavimus ex actis mss. exaratum 5. Græcorum menæorum 30. Octobris et 9. Febr. quæ recensiorem ætatem redolent et vulgatam opinionem: nam Antilogium Ecclesiæ. grecæ Clemente octavo adprobante editum an. 1598. quod vetustiora amplectitur, Marcianum non memorat 6. denique Anonymi scriptoris 7. sæculi in encomio S. Marciani et S. Josephi hymnographi. Verum hi patres juxta illorum temporum fidem locuti sunt V. de Angelis l. 3. § 4. num. 5. Præcæteris autem juvat hic afferre testimonium Danielis Papebrochii continuatoris Bollandi die 14. Junii T. 2. de S. Marciano num. 3. qui Bollandi opinionem emendavit et ejus auctoritate Joannes de Joanne

suam sententiam correxit „ Par autem æmulatio Syracusanos moverit ut Tauromenitanæ Ecclesiæ de cujus antiquitate non dubitatur suam si non priorem saltem parem videri vellent; eoque persuaderi sibi sinerent Marcianum æque ac Pancratium Petri discipulum fuisse? Huic deinde persuasioni inhæserit Encomiastes non considerans quam longe a Petri ætate distarent tempora Valeriani et Gallieni. Qui autem postea commentatus est utriusque Protoepiscopi prolixissima acta pro illis Neronem audacter sobstituerit sub quo passi sint. Denique præsumpserit aliquis (Christophorus de Escobar an. 1608.) eadem qua pseodorotheus fide, accersitis a cerebro suo vel aliunde nominibus implere cathalogum, idque verosimiliter post recuperatam de Saracenis Insulam Sæculo Christi undecimo ultra medietatem provecto. Nam quæ antea non magis frugum quam fabularum ferax fuit Insula, fuit etiam talis post inductam Christi fidem ut probant tot vitæ sanctorum græca verbositate et fide auctoribus non suis suppositæ. De quibus ad acta SS. Alphii, Phi-

ladelphii et Cirini . 10. Maji „ et num. 8. „ fuit Joseph Hymnographus in communi tunc errore, in quo et auctor Encomii de tempore missi in Siciliam Marciani „ num. 9. „ credi potest Marcianus missus in alta illa sub Sancto Fabiano Papa Ecclesiæ pace quæ præcessit Decianam persecutionem, cujus continuatio fuit illa quæ sub Valeriano et Gallieno sæviit „.

§. 5.

Panormitana

Optarem sane Ecclesiam Panormitanam ab Apostolis institutam sed argumenta quibus isthæc opinio innititur satis infirma criticis videntur, Cantelius tamen l. cit. p. 3. diss. 5. cap. 5. num. 3. de ipsa hæc habet „ ut omnium fere Ecclesiarum ita Panormitanæ obscura sunt exordia. Sunt qui cives a B. Petro dum e Græcia Romam peteret, ad fidem christianam eruditos velint et ab ipso paulo post eo missum, qui hanc vrbem regeret, Episcopum. Id suadet Panormi celebritas, aliarumque urbium exemplum. Ut Syracusis

Marcianus Pancratius Tauromenii, Catanæ Berillus ita Panormi, qui his urbibus aut par erat aut etiam superior institutum Episcopum simile vero est. Quis vero primus fuerit Episcopus quique per trecentos plus minus annos huic sedi præfuerint, obscurum est Primus de quo memoriæ proditum sit Mamilianus appellatur an. 297. sub Dioclesiano „ hæc Cantellii et Gaetani opinio mera conjectura est, imo ex ea inferri potest aut nullam ex his sedem apostolicam esse aut omnes, quæ certe nescio quomodo defendi possent. Verumtamen scriptores nostri Panormitanæ et Agyrensis Ecclesiæ apostolicitatem sustinent ex duplici historia S. Philippi quarum una sub nomine D. Atanasii, altera Eusebii monachi socii Philippi itinerum circumfertur, utramque leges penes Gaetanum T. 1. ss. Sicul. et Thomam de Angelis Annalium sæc.5. Mongitorius et Serius ad diluendas Messanensium difficultates Atanasium cum Eusebio conciliant et utramque historiam in rem suam inflectunt et ad primum sæculum extollunt. Ipse vero in tanto partium studio fateor non

posse responderi ad hæc quæsita et primo sane quærerem quomodo detur fides Atanasii commentario an. 1650. in bibliotheca Antonii Augustini mss. invento, si patres Maurini in edit. Operum Atanasii T. 2. p. 5. in præf. judicant „ in hujusmodi commento refutando operam ludere otiosi homnis esse „ 2. unde silentium omnium veterum quod etsi negativum, magnum tamen in hisce rebus suppositionis indicium est? 3. forsan credibile videri possit Atanasium gravissimis rebus intentum acta scripsisse Philippi quem nemo vidit unquam in Egipto? 4. quæ ratio diversitatis styli commentarii cum aliis Atanasii operibus? 5. quomodo explicetur silentium commentarii de Eusebio Philippi comite et continuus cum ejus historia dissensus? 6. quamnam fidem mereri possint codices mss. in oppidis Caltabillottæ et S. Philippi fragalatis inventi qui Philippum a Petro missum exhibent cum quoque missum ab ipso testentur Calogerum quem sæculo quinto vixisse ex Gregorio M. comperimus. Quapropter merito commentarium istud rejecerunt veluti fig-

mentum Bollandistæ Burmannus in præf. ad antiq. Sic., De Angelis, et Joannes de Joanne. Satagunt quoque Scriptores panormienses defendere S. Philippi historiam ab Esebio monaco scriptam ex eo quod in ea fiat mentio Archiepiscopi Panormitani. Sed historiolam istam commentum esse posterioris ætatis satis arguunt verba ipsa quæ in ea leguntur „ temporibus Arcadii Imperatoris „ quæ sine ullo fundamento vertit Pirrus „ temporibus Neronis „ sicut et alia quæ inea commemorantur veterem non redolent ætatem, sicut festum exaltationis Sanctæ Crucis, Constantinopolis mentio, nomen monachi, publica templa Ecclesia Sancti Petri ejusque festum, titulus Patriarchæ D. Petro datus, sacer cultus Philippo Confessori et nomen Archiepiscopi quæ omnia novitatem sapiunt. Non me latet ad hæc sua dedisse responsa Serius sed frigidis conjecturis. Si pergama dextra defendi possent etiam hac defensa fuissent.

§. 6.

Messanensis

De origine Messanensis Episcopatus „ sunt verba Cantellii loc. cit. c. 6. „ triplex opinio est. Alii eam dignitatem repetunt a D. Paulo, a quo Bacchylum ordinatum Episcopum volunt. Ita plerique omnes Messanenses historici ut Lascharis, Bonfilius etc. Alii id tribuunt B. Petro, a quo Antiochia in Siciliam missi sunt, ut illis quidem placet, Martianus Syracusas, Pancratius Tauromenium, Messanam Bacchylus et alii alio. Sunt etiam qui ad Leonis 1. tempora id rejiciunt, ipsiusque Leonis in eam rem auctoritatem adhibent: cujus Epistola quarta ad omnes Siciliæ Episcopos verba sunt hæc „ hæc autem quæ inspirante Domino vobis insinuanda credidimus per fratres et Coepiscopus nostros Bacchylum et Paschasinum ad vestram volumus notitiam pervenire „ ex quibus ita argumentari licet: Bacchyllus inter Episcopos Messanenses principem locum obtinet ut testes sunt scriptores omnes tum Messanenses, tum Siculi: geminum vero Bacchylum fuisse,

a nemine usquam proditum est, unde verosimile est Bacchyllum, qui Leoni primo ætate suppar erat, (idem enim et Bachilli et Bacchylli nomen est) primum fuisse Messanæ Episcopum. Hæc fere Pirrus quæ vera ne sint an secus aliorum sit judicium „ inde sequitur contexendo Episcoporum catalagum a Bacchyllo.

Prima igitur opinio est Lascaris qui post ann. 1490 ex codice mss. in monasterio D. Agatæ Rhegii a se reperto sustinet D. Paulum Bacchylium primum Episcopum consecrasse et in præfat. ad Epistolam B. Virginis exposuit historiam sive potius græca fide finxit „ Paulum Apostolum cum esset Rhegii a Sen. Pop. Q. Messanesi flagrantibus studiis accitum Messanam venisse, duosque dies ea in Urbe commoratum conciones ad populum habuisse de Passione Domini, de B. Mariæ Virginitate et Incarnati Verbi æconomia; quibus auditis Messanenses Christianam fidem complexi, eximiisque in Dei parentem studiis excitati, Legationem Hyrosolimam ad eam decrevere ubi vivere et adhuc

agere audierant. Paulus vero Apostolus et Legati Messanenses in Orientem profecti, Deique Matrem coram venerati ab ea litteras ad Messanensium Rempublicam suscepere „ Oh inaudita facilitas ? Omnes tamen eruditi codicem confictum ab ipso Lascari volunt; nemo enim unquam vidit autgraphum et ipse Maurolycus hæc omnia neglexit. Cæterum clarissime suppositionem ostendit negotium istud tam celeriter et pacifice peractum, totius Urbis intra duos dies conversio, Episcopi consecratio, et sollemnis legatio a D. Paulo suscepta qui Romam vinctus ducebatur V. Gaetanum Isag. c. 22. et cap. 37. num. 2. et seq. Vidit difficultatem Albertus Piccolus et Lascaris commentum rejecit, et non a Paulo sed a D. Petro ex Antiochia missum Bacchylum fuisse contendit: quæ secunda opinio est, quæque facilius confutatur a Pirro nam conjecturis frigidisque argumentis adstruitur. Tertia et probabilior opinio est Pirri qui alias in tradendis Ecclesiarum exordiis plura vel incerta vel etiam supposititia congessit saniori consilio Messanensis Ecclesiæ

initium recensuit et Bacchilum in ætatem Leonis primi rejecit cui subscribitur Cantelius sicut et Bollandistæ Eucarpum primum Episcopum agnoscunt die 23. Martii S. Niconis §. 2. num. 12. „ Verum iis temporibus necdum ea (Messina) erat Episcopalis uti solide probavit Pirrus erudite rejiciens quotquot ab aliis perperam huc trahuntur quasi Episcopatum Messinæ in Sicilia gessissent ante Eucarpum (Bacchyli successorem) ad sæculi sexti initia florentem „ Cum certum sit apud omnes primum Episcopum Messanensem fuisse Bacchylum , et alium hujus nominis nullum fuisse compertum sit , igitur qui memoratur in Epist. Leonis M. ad Episc. Siciliæ primus est Episcopus Messanæ Consule Pirrum not. Eccl. Mess. Bollandistas l. cit. Cantelium l. cit. Gaetanum l. cit. et Joannium . Diss. ad eod. et in mss.

§. 7.

Ex Apostolicis quoque duxerunt initiis Catanensem Ecclesiam Roccus Pirrus quem Catanensis

carpit Burmannus præf. ad Thesaur. Sic. post Pirrum Gaetanus c. 18. 4. c. 37. et ipsi Bollandistæ qui in vita S. Berylli die 21. Martii hæc habent „ ex successoribus Episcopis sedit sæc. 8. S. Leo Thaumaturgus, cujus vitam ab auctore coævo scriptam dedimus ex cod. mss. græco 20. Febr. in qua num. 2. ista leguntur = Defuncto Sabino Episcopo cum in successione qui sacerdotii munere dignus esset investigando hujus Urbis incolæ tumultuarentur, unum hunc aptissimum delegavit B. Leonem virtutum omnium columnam nec nomine solum illustrem sed factis multo magis ac moribus S. Berylli Archiepiscopi nostri cathedram illustraturum = Et hæc est antiquissima memoria S. Berylli qui Archiepiscopus quasi ProtoEpiscopus appellatur. Altera ejus mentio potest censeri illa que sæculo decimo inserta est menologio mss. græco jussu Basilii Porphyrogeniti Imperatoris collecto in quo ista habentur = memoria S. Berylli Episcopi Catanæ. Sanctus Pater noster Beryllus natus erat Antiochiæ in Siria factus vero discipulus S. Petri Apostoli est ab eo

Episcopus Catanensis in Sicilia ordinatus . . . at cum alia miracula eaque non pauca perpetrasset et ad profundam senectutem pervenisset ad Christum migravit æterna ab eo vita donatus. Venerabiles ejus reliquiæ sunt in illa insula cum debito honore collocatæ, ad quas quicumque cum vera fide accedunt, sanitatem usque in hodiernum diem consequuntur „ quæ eadem sed mutata phrasi leguntur in mss. Sinaxario Parisiensi Claramontani Collegii Societ. Jesu, et in aliis menæis tam excusis quam manu exaratis. . . . hinc latini inseruerunt in martirologio Romano „ Catanæ S Berylli qui a B. Petro ordinatus Episcopus „ tota igitur hujus opionionis Bollandistarum probatio eruitur primo ex auctoritate anonymi auctoris vitæ S. Leonis: secundo ex auctoritate Menologii et græcorum menæorum. Velim tamen animadvertant 1. B. Leonem vixisse aut in fine 7. sæculi vel octavo sæculo ejusque vitæ, auctorem nec Berylli ordinationem a D. Petro nec illius Ecclesiæ institutionem tradidisse 2 Menologium et ex ipso alia testimonia recensioris ætatis esse et vul-

garem opinionem exposuisse; vetustiora enim martyrologia Romana nullam de eo faciunt mensionem Cæterum Beryllus usque ad senectutem Confessor et sacer cultus ea ætate illi datus magnam habent suspicionem. Quapropter Bollandistæ primam correxerunt sententiam et in vita S. Marciani num. 2. hæc exhibent „ Quare de S. Pancratio noli quæstionem movere Tauromeniis ab extimo Italiæ cornu in Insulam trajecturo proximis; sed eodem fidei Siculis prædicatæ initio suum quoque Syracusis obtigisse Episcopum quod Messinæ, Catanæ Panormo æque principalibus Civitatibus solum contigit sæculo tertio „

§. 8.

Agrigentina-

Libertinum quoque a D. Petro Episcopum Agrigentinum consecratum fuisse conjicit Gaetanus Isag. c. 18. num. 4. et 5. ex auctoritate Græci Encomiaste Divi Marciani qui Libertinum facit coævum Peregrino martyri Marciani discipulo „ Peregrinus martyr Marciani doctrina imbutus parem mortis trium-

plum retulit cum S. Martyre et Agrigentinorum Ecclesiæ Episcopo Libertino „ sufficiant igitur quæ de Sancto Peregrino testatur Papebrochius ut ea quæ de Libertino traduntur confutentur „ credi potest, inquit in vita S. Marciani num. 9. Marcianus missus in alta illa sub Sancto Fabiano Papa Ecclesiæ pace, quæ præcessit Decianam persecutionem, cujus continuatio fuit illa quæ sub Valeriano et Gallieno sæviit a qua ne recedat is, quem Encomiastes transcripsit, S. Peregrinus, semper in plurali non singulari principes seu Imperatores nominat: ut frustra suspicetur Gaetanus Glossema transscriptoris esse, quod Valerianus et Gallienus nominentur pro Nerone, cum totus contextus plures exigat. Cæterum dum S. Peregrini martyris acta, quæ pro tertio Novembris habet ex antiquo codice Gaetanus cum Valeriano et Gallieno sic conjungunt Siciliæ præfectum seu consularem Quintianum, sub quo S. Peregrinus sit passus, sententiam nostram confirmant; quia sub eodem paucis annis ante passa dicitur S. Agatha imperantibus Deciis, et hujus actis lu-

cem effundunt quoad mortem Quintiani, qui sic non potuit statim post ejusdem Sanctæ martyrium interiisse. Dici tamen potest familiare Siculis scriptoribus fuisse pro quovis præside Christianorum persecutore usurpare nomen Quintiani, sicut Biogrophi Hispani Dacianum, Mediolanenses Anulinum usurpant; uti coguntur omnes facere qui ad Neronis tempora attollunt martyres quos Decianæ persecutioni melius reliquerent; vel etiam Diocletiani et Maximiani temporibus. Istud vero si revera fecerunt Siculi nihil nomen Quintiani hic repertum conducet ad id quod requirebatur„

§ 9.

Lylibetana

Exordium hujus Ecclesiæ prope tempus Apostolicum consignat Mongitorius ad Pirrum ex eo quod memoretur Eustachius lylibetanus in concilio coacto adversus Heracleonem anno 125. sed hoc concilium veluti commentum rejiciunt Eruditi quorum sententias expendemus infra ubi de conciliis. Primus igitur Episcopus hujus Urbis habendus Gregorius mar-

tyr cujus meminit Leonthus in vita Gregorii Agrigentini penes Gaetanum T. 1. pag.205. num. 19. et penes Antonium Morcellum qui nuperrime novam editionem edidit Leontii Græcolatinam „ Justum in carcerem conjiciunt, compedibusque vinctum asservant ubi S. Gregorius Lylibetanae urbis Episcopus inclusus olim fuerat ; martyrii denique palma donatus cum gladio cæsus obiisset sub Tyrcano tiranno „ subdubitant scriptores nostri num sub Diocletiano passus sit vel sub Vandalis . Gaetanus Isag. c. 3 ; n. 7. haec habet „ Ecclesia Lylibetana antiquissima est cujus Episcopus Paschasinus S. Leonis 1. Legatus Concilio Calchedonensi præsedit an. 451. memoratur etiam S. Gregorius Martyr , in vita S. Gregorii 2. Agrigentini a Leontio scripta ; nondum exploratum habeo martyr extiterit sub Vandalis an sub Etnicis Imperatoribus „ sed verosimilius vel paolo ante vel paulo post Pascasinum; tempus enim quo vixerit hic Gregorius non indicatur a Leontio .

§. 10.

Triocolitana

Faciles scriptores nostri in concedenda quibuscumque Ecclesiis Apostolicitate et huic indulgent uno suffulti præsidio codicis Caltabillottæ sive actorum S. Peregrini Episcopi sed esto quod Calabillotta oppidum Saracenicum eadem sit ac vetusta Triocola ex hujus subversione enata, Episcopatum habuit sub ætate Gregorii M. Acta enim S. Peregrini fabulis antiquitatis accensenda sunt sicut paulo ante demonstrasse memini, et ea quæ in ipsis referuntur id clare suadent: missio videlicet a D. Petro ad fugandos Demones, credentium moltitudo vix prædicato Evangelio, vita ipsius heremitica, mors pacifica et cultus sacer Confessori indultus cæterum ante Gregorium M. altum in historia silentium.

§. 11.

Liparitana

Primus Liparitanæ Ecclesiaæ Episcopus creditur Augustus qui Synodis sub Symma-

eo habitis subscribitur nam Acta SS. Alphii, Philadelphii et Cirini, quibus tanta fides ab antiquis data fuit jam fabulosa comperta sunt. V. Joannium Dipl. 4. p. 364. in append.

Myla Urbs Siciliæ fuit ex Gregorio M. penes cod. Joannis de Joan. Dipl. 156. Mylensis autem Ecclesia inter dubias recensetur a Pirro, omittitur a Cantelio, Gaetanus siculam sustinet sed ignota fatetur initia. Verum in epist. Agatonis ubi subscriptiones Episcoporum juxta provinciarum diversitatem disponuntur inter Episcopos Siciliæ prima occurrit mentio Joannis Episcopi Mylanæ Ecclesiæ in octava quoque synodo memoratur Xenophon Episcopus Milazzi. Dicam igitur hanc Ecclesiam siculam non Apostolicam. Mylana

§. 12.

Primum Leontinæ Ecclesiæ Episcopum nominant scriptores nostri Neophitum qui tertio sæculo vixit sed primum indicatum novimus Lucidum Leontinum in epist. Gregorii M. Dipl. 247. ut in tab. Leontina

Tyndaritanæ Ecclesiæ Episcopi memoriam eruimus ex Synodis Romanis sub Symmacho cui subscribitur Severinus Tyndaritanus et ex litteris Pelagii et Gregorii in quibus legitur Eutychius Tyndaritanus ut in tab. jam igitur haec Ecclesia quinto sæculo enata.

De hujus Ecclesiæ Episcopatu silentium in historia usque ad octavam Synodum in cujus actis legitur Niceta Cephaludii.

Cæcutiunt qui Thermarum Episcopatum vel ex Petri transitu per Thermas vel ex actis D. Calogeri repetunt. Paschalis Thermitanus Concilio Lataranensi interfuit sub Martino: nec alius ante invenitur. Num autem Thermæ himerenses vel Termæ Selinuntiæ fuerint Episcopales quæstio est Gaetanus probabilius credidit Thermas himerenses quia Urbs splendidior erat.

§. 13.

Leontina

Alesam Siculam Urbem fatentur omnes: num autem Episcopalis quæstio est. Pirrus non aliam fatetur adesse notitiam quam ex

Leonis Dispositione. Gaetanus nullam de hac sede invenisse mensionem apud scriptores testatur, et alii alia quid igitur? Si Græcorum ordinibus detur fides omnino Episcopalis credenda est; et quamvis recentiores illorum Dispositiones indubium non afficiant argumentum: tamen Calumniosus Alesinus legitur in subscriptione Concilii Lateranensi sub Martino 1. et parum interest quod sint etiam Calabriæ Episcopi quia et Alesa sicula fuit et simul cum eo multi siculi Episcopi subscribuntur Hisce adde quod in 8. Synodo subscriptum invenies post Nicetam Cephaludii Antonius Alesinus et exinde in Græcis ordinibus: hinc non levia sunt argumenta pro Alesino Episcopatu.

§. 14.

Carinis Sicula num olim fuerit episcopalis subdubitant nostri etiam scriptores. Hujus Episcopatus meminere Concilium Lateranense sub Martino 1. Nicænum 2. Codex Beveregii et Nilus Doxopatrius.. Sed dubi- Tyndaritana

um oritur 1. ex eo quod actis conciliorum subscribuntur indistincte etiam Episcopi Calabriæ inter quos Episcopus Camarinensis qui idem dicitur ac Carinensis ex eorum opinione 2. ex fide Græca quæ Episcopatus effinxit. Verum sub Symmaco invenio Camerinensem inter Episcopos siculos, absque ulla distinctione provinciarum sub Martino 1. post Siculum Alesinum Joannem Carinensem. In Nicænæ 2. subscriptionibus Episcoporum tantum Siculorum inter quos nullus adest Calaber legitur Constantinus Carinæ, apud Beveregium notatur diversitas provinciarum et Carines habetur tamquam sedes Insulæ Siciliæ sic etiam apud Nilum Doxopatrium: nec multum interest quod in ordine Leonis Sapientis inveniatur Camarina nam in textu græco dicitur etiam Carinis et hæc refertur inter solos Episcopatus Insulæ Siciliæ, nec ullus notatur ibi ex provincia Calabriæ. Igitur indicatur aut Carinis aut Camarina Sicula hæc enim olim Siciliæ Urbs et Episcopalis creditur a Mongitorio in not. 10. ad Pirrum ab ætate Symmachi Papæ, sed nulla

suppetunt monumenta . Nos autem Camarinensem provinciae Calabriæ relinquimus sed fatemur pro Carinensi Episcopatu non adeo levia esse et infirma documenta adeo ut inter nostros episcopatus recenseri non absonum est .

Albertus Piccolus Croniensem Urbem et Ecclesiam neque scriptam neque pictam unquam vidisse testatur quamvis Pirrus, Cronium Siciliæ Urbem credat : hujus Episcopatus eruitur ex Dispositione Leonis Sapientis et Andronici qui etiam Drepanensem memorant sed teste Cantelio, Gaetano aliisque nullum aliud extat vestigium . De his igitur idem judicium damus ac de cæteris Episcopatibus qui seguuntur . Croniensis et Drepanensis

§. 12.

In Ordinibus Orientalium a Leone sapiente usque ad Nilum Doxopatrium multæ sane enunciantur sedes Episcopales velut avulsæ a Patriarcha Romano et Trono Constantinopolitano addictæ . Præter igitur superscrip- Cæteræ

tas et Gaudi et Melitæ insulas exscribuntur Didyme, Basiludium, Vulcanus, Urica aut Ustina sive Ustica insula satis nota, Tenari, Onarea, Burcausus. Quid de horum Episcopatu? Ridiculum sane est parvas Insulas aut pene inhospitas Episcopales fingere: et nemo non videt hujusmodi ordines evidentissime redolere Græcam Patriarcharum jactantiam; et cuique patet studiose compositos esse ut ostenderent majores esse et numero et dignitate sedes episcopales Patriarchæ Constantinopolitano sive Novæ Romæ subjectas, quam Veteri Cæterum quærerem unde oriatur diversitas Dispositionum ejusdem Imperatoris ut una plures altera pauciores referat Ecclesias, ut una sedes destructas commemoret, altera extantes negligat; ut una omittat notas altera ignotas subnectat? Peterem quoque quænam fuerit notitia Episcopatuum et jurisdictio Patriarchæ in Ecclesias siculas sub captivitate Saracenica cum vix superesset ecclesiarum memoria? et quamnam fidem mereatur Nilus Donopatrius infra videbimus.

Expositis Ecclesiarum exordiis, et Ve-

teris Siciliæ Episcopatibus, prætium operis duximus horum omnium Episcopatuum tabulas adnectere quas ex Latinis græcisque codicibus excerpsimus. Non enim alio consilio hanc præposui dissertationem nisi ut adjicere potuissem hasce tabulas Episcopatuum, quas neglexerunt prelaudati scriptores; et non bene quidem, nam ex ipsis tota pendet sacri regiminis sub Latinis et Græcis difficilis quæstio.

CAPUT 2.

EPISCOPATUUM SICILIENTIUM
NOTITIA

TAB. I.

Ex Synodis Romanis

SUB SYMMACHO PAPA HA BITIS

post. an. 501. habbè T. 8.

Augustus Liparitanus Severinus Tyndaritanus
Rogatus Taurominitanus Eucarpius Messanensis

TAB. II.

EX LITERIS PELAGII PAPE I.

ET

GREGORII MAGNI

penes Codicem diplomaticum

JOANNIS DE JOANNE

anno 556. – 604.

Dipl. 81. Maximianus Syragusanus
56. Eucarpius Messanensis
Gregorius Agrigentinus
77. Victor Panormitanus
82. Paulinus Liparitanus
54. Elpidius Catinensis
Dipl. 90. Lucillus de Melita
93. Theodorus Lilybætanus
94. Secundinus Tauromenitanus
102. Eutychius Tyndaritanus
114. Petrus Trecalitanus
247. Lucius Leontinus

TAB. 3.

CONCILIUM LATERANENSE ROMANUM

SUB MARTINO PAPA I.

celebratum an. 649. *Labbè T.* 10.

SUBSCRIPTIONES

Lucianus Leontiensis Peregrinus Messanensis

Felix Agrigentinus Maximus Trocolitanus
Elias Lilybætanus Justus Tauromenitanus
Felix Panormitanus Theodorus Tyndaritan.
Paschalis Thermitanus Peregrinus Liparitanus
Calumniosus Alesinus Joannes Carinensis

TAB. 4.

Epistola Agathonis, et Romanæ Synodi centum viginti quinque Episcoporum quæ fuit velut Istructio legatorum qui missi sunt ad synodum celebrandam anno 680. penes Labbè T. 11. pag. 286.

SUBSCRIPTIONES

Theodosius exiguus Episcopus Sanctæ Ecclesiæ Syragusanæ provinciæ Siciliæ in hanc suggestionem quam pro apostolica nostra Fide unaniiniter construximus similiter subscripsi.

EADEM SUBSCRIPTIONIS

FORMULA

Benedictus Ep. Ecclesiæ Messanensis
Joannes Thermitanæ Joannes Mylanæ
Petrus Tauromenitanæ Julianus Catanensis
Georgius Trioclitanæ Georgius Agrigentinæ

TAB. 5.

EX NICÆNA 2.

Labbè T. 13. *pag.* 138. *anno* 787.

Interpetratio subscriptionis Romanorum

Galato exiguus præsbiter, et ex persona(Stephani) Archiepiscopi Sicilæ Libenter omnia quæ præscripta sunt suscipiens subscripti.
Theodorus indignus Episcopus Catanæ
Joannes indignus Episcopus Tauromeniæ
Gaudiosus indignus Episcopus Missinæ
Theodorus indignus Episcopus Panormi

Hæc est Tabula quam citant Scriptores pro Syracusano Metropolita

Constantinus indignus Episcopus Leontinæ
Basilius indignus Episcopus Liparetentium
Constantinus indignus Episcopus Carinæ
Theophanes Episcopus Lilybæi similiter

ALIA TABULA EX NICÆNA 2.

T. 12. act. 1. pag. 991. an. Christi 787.

Ὑπόμνημα τῆς ἐν Νικαία συνόδου τὸ δεύτερον.	Monumenta synodi apud Nicaenam secundo cælebratæ
ΠΡΑΞΙΣ ΠΡΩΤΗ	PRIMÆ ACTIO
Θεοδώρου ἐπίσκοπ. Κατάνης,	Theodoro Episcopo Catanæ.
Ιωάννου ἐπίσκοπ. Ταυρομενίας,	Joanne Episcopo Tauromeniæ.
Γαυδιώσου ἐπίσκοπ. Μεσσύνης,	Gandioso Episcopo Messanæ.
Θεοδώρου ἐπίσκ. Πανόρμου	Theodoro Episcopo Panormi.
Κωνσταντίνου ἐπίσκ. Λεοντίνης,	Costantino Episcopo Leontinæ
Κωνσταντίνου ἐπίσκ. Καρίνης,	Costantino Episcopo * Caunæ 2. — Carinæ
Ιωάννου ἐπίσ. Τροκαλέως	Joanne Episcopo * Jereopoleos 1. — Trocaleos

Θεοφάνους ἐπίσκ. Λιλυβαίου,	Theophane Episcopo Lylibæi.
Γαλάτωνος πρεσβυτέρου καὶ τὸν τόπον ἐπέχοντος * Στεφάνου ἐπίσκ. Συρακουσίων.	Galatone presbitero, et locum retinente * Stephani Episcopi * Siracusani. Christophori

* Κριστοφόρος

ALIA TABULA EX NICENA 2.

T. 12, act. 2. pag. 1085. et 1093.

Π' ἁγία συνοδος εἶπε

Θεόδωρος, ὁ ὁσιωτατος ἐπίσκοπος Κατάνης εἶπε· πάσης ὀρθοδοξίας ἔμπλεων τὴν ἀποςαλεῖσαν ἀναφορὰν παρὰ τοῦ ὁσιωτάτου πάπα Αδριανοῦ τῆς πρεσβυτέρας Ρώμης πρὸς τοὺς ἐυσεβεῖς. καὶ φιλοχρίστους Βασιλεῖς ἡμῶν ναὶ μὴν καὶ Ταράσιον τὸν ὁσιώτατον, καὶ ἁγιώτατον οἰκουμενικὸν πατριάρχην, διὰ τῆς ἀναγνώσεως ἔγνων· ὅδενκάγω τούτοις συντίθημι, καὶ κατὰ πάντα ζόπον προσκυνῶ, καὶ ἀσπάζομαι, καὶ ἀποδέχομαι τὰς ἱερὰς εἰκόνας· καὶ τοὺς μὴ οὕτως φρονοῦντας τοῖς ἀναθεματισμοῖς ἀποπέμπομαι, ως αλλοτρίους τῆς καθολικῆς εκκλησίας.

Sancta Synodus dixit.

Theodorus Sanctissimus Episcopus Catanæ dixit: Omni orthodoxia plenam relationem quæ missa est a Sanctissimo senioris Romæ Hadriano ad pios, et amicos Christi Imperatores nostros, sed et Tarasium almum, et universalem patriascham, per lectionem agnovi. Unde et ego his assentior, et prorsus adoro, amplector, et admitto sacras iconas. Eos vero qui ita non sapiunt anathematismis transmitto, tamquam alienos ab Ecclesia Catholica.

Joannes Sanctissimus Episcopus Tauromeniæ dixit: Cum veluti divinus orthodoxiæ terminus sint literæ, quæ ab Hadriano Papa senioris Remæ ad pios Imperatores, nec non, et ad Tarasium universalem patriarcham nostrum missæ sunt, ita profiteor, suscipiens sacras iconas secundum antiquam traditionem Ecclesiæ catholicæ. Eos vero, qui ita non sapiunt, anathematizo.

* Γαυδιῶσος

* Μιλήτȣ

* Γαύδιος ὁ ὁσιώτατος ἐπίσκοπος Μεσσίνης ἐξεφώνησεν ὁμοίως.	Gaudiosus Episcopus Messinæ similiter.
Θεόδωρος ὁ ὁσιώτατος ἐπίσκοπος Πανόρμȣ ἐξεφώνησεν ὁμοίως.	Theodorus sanctissimus Episcopus Panormi similiter.
Κονσταντῖνος ὁ ὁσιώτατος ἐπίσκοπος Λεοντίνης ἐξεφώνησεν ὁμοίως.	Constantinus sanctissimus Epicsopus Lontinæ similiter.
Επιφάνιος ὁ ὁσιώτατος ἐπίσκ * Μιλήτων ἐξεφώνησεν ὁμοίως.	Epiphanius sanctissimus Episcopus Mileti similiter.

Militorum

ALIA TABULA EX NICENA 2.

T. 13. Act. 4. pag. 133.
T. 13. Act. 7. pag. 373. an. 787.

ΟΡΟΣ ΤΗΣ ΑΓΙΑΣ ΜΕΓΑΛΗΣ καὶ οἰκουμενικῆς ἐν Νικαίᾳ συνόδου τὸ δεύτερον	TERMINUS SANCTÆ MAGNÆ ac universalis synodi secundo in NICÆA COLLECTÆ
Θεόδωρος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Κατανης ὁμοίως.	Theodorus indignus Episcopus Catanæ similiter.
Ἰωάννης ἀνάξιος ἐπίσκοπος Ταυρομενιου ὁμοίως.	Joannes indignus Episcopus Tauromenii similiter
Γαλάτων ἀνάξιος πρεσβύτερος, καὶ ἐκ προσώπου Στεφανου ἐπισκόπου Συρακούσης ὁμοίως.	Galato indignus presbyter, et Vicarius Stephani Episcopi Syracusæ similiter.
Γαυδιῶσος ἀνάξιος ἐπίσκοπ. Μεσσήνη ὁμοίως.	Gaudiosus Episcopus Messinæ similiter.
Θεόδωρος ἀνάξιος ἐπίσκοπος Πανόρμου ὁμοίως.	Theodorus indignus Episcopus Panormi similiter.

Κώνστας ἀνάξιος ἐπίσκοπος Λεοντίνης ὁμοίως.	Constans indignus Episcopus Leontinæ similiter.
Βασίλειος ἀνάξιος ἐπίσκοπος τῆς Λιπαριτῶν νήσου ὁμοίως.	Basilius indignus Episcopus Liparensium similiter.
Κώνστας ἀνάξιος ἐπίσκοπος Καρίνης ὁμοίως.	Constans indignus Episcopus Carinæ similiter.
Θεοφάνης ἀνάξιος ἐπίσκοπος Λιλυβαίου ὁμοίως.	Theophanes indignus Episcopus Lilybæi similiter.
Ιωάννης ἀνάξιος ἐπίσκοπος * Τριβάλεως ὁμοίως. * Τρεκάλεως	Joannes indignus Episcopus Trivaleos similiter.

TAB. 6.

EX SYNODO 8.

Niceta Cephaludii	Antonius Alesinus
Gregorius Messanensis	Eutimius Catanæ
Zenophon Milassi	

TAB. 7.

Fragmentum dispositionis de Patriarcatu Constantinopolitano sub Imperatore Leone Sapiente an. 886. penes codicem Joannis de Joanne pag. 341. ex Auberto Miræo.

Catanensi Metropolitæ nullus subest Thronus

Sub Syracusano metropolita Siciliæ.

Tauromenitanus Messanensis Agrigentinus Croniensis Lilybæi Drepani Panormitanus Thermarum Cephaludii Alesæ Tyndarii Melitensis Liparensis.

Preter has Metropoles ejusdem Leonis ævo, et triginta octo Archiepiscopatus Patriarchæ Constantinopolitano erant subjecti quos enumerans decimo Septimo loco ponit. Messanensem Ecclesiam in Sicilia.

TAB. 8.

BEVEREGIUS T. 2

IN ANNOTATIONIBUS

Ad Canonem 36. Conc. Trullani pag. 135.

ΤΑΞΙΣ

Προκαθεδριας των αγιωτατων πατριαρχων· α' Ο Ρωμης· β' Ο Κωνσταντινȣπολεως· γ Ο Αλεξανδρειας· δ Ο Αντιοχειας· ε Ο Αιλίας Ϊτοι Ιεροσολυμων.

Ordo præsidentiæ Sanctissimorum Patriarcharum

1. Romanus 2. Constantinopolitanus 3. Alexandrinus 4. Antiochenus 5. Eliensis sive Hierosolimitanus.

Ordo præsidentiæ Metropolitanorum, et Autocephalorum, et Episcoporum sub Apostolico Trono a Deo custoditæ hujus, et Imperialis urbis (Constantinopoleos) agentium.

Avulsi sunt autem, et a Romána diœcesi Throno Constantinopolitano nunc subjecti Metropolitæ, et qui sub iis sunt Episcopi.

2. Syragusæ 4. Rhegii

Hi adjecti sunt Synodo Constantinopolitanæ; Propterea quod Papa veteris Romæ sub gentibus detentus est. Sicut et ab Orientali diœcesi avulsus est Metropolita Seleuciæ Isauriæ, et ipse cum suis viginti quatuor Episcopis sub Constantinopolitano agit.

Provincia sub Gloriossissimo
Eparcho Romæ sive Italiæ.

Provincia UrLicariæ Romæ
(enumerat 22. Episcopatus)

Provincia Campaniæ
(alias 22.)

6. Messina

1.

	Νῆσος Σικελίας	Insula Siciliæ
	Συρακουσα	1 Siragusa
	Κατανη	2 Catana
	Τιροσένιον	3 Terebenium
	Σεσήνη	4 Sesena
* Κεφαλοιδίς	* Χεφαλούδιν	5 Cephaludum
	θερμών	6 Thermum
	Πανορμος	7 Panormus
	Λιλύβαιον	8 Lilybeum
	Τρκαλις	9 Trocalis
	Ακραγαντος	10 Acragantus
	Τυνδάρων	11 Tyndarum
* Καμαρίνη ο	Χαρινης	12 Carines
* Λεόντιον	Λεοντινι	13 Leontina
	Αλουσις	14 Aleusis
	Γαῦδος	15 Gaudus
	Μελέτη	16 Meleta
	Λίπαρις	17 Liparis
	Βυρκαῦσος	18 Burcausus
	Δίδυμοι	19 Didymi
	Οὔρικα	20 Urica
	Τα Ὀναρέα	21 Onaræa
	Βασιλούδιν	22 Basiludin

Tab. 9.

NOTITIÆ

Græcorum Episcopatuum

A LEONE SAPIENTE

ad Andronicum Palæologum

A P. Jacobo Goar Ord. Prædic. collectæ et recenter editæ apud Scriptores Byzantinos T. 16. Pag. 291.

Ordo præsidentiæ

Sanctissimorum Patriarcharum

1 Romanus 3 Alexandrinus
2 Constantinopolitanus 4 Antiochenus
5 Eliæ urbis sive Jerosolimarum

Ordo præsidentiæ Metropolitarum et sui juris Præsulum, et Episcoporum.

Huic a Deo Servatæ, et urbium Reginæ civitatis Apostolico Throno subjectorum.

Sequuntur 34 Metropolitæ

Hucusque Metropolitæ sequuntur itaque deinceps, qui proprii sunt juris, et nullum in subditos exercent.

Postea 76 Archiepiscopi et 33 Provinciæ

Sunt vero a Romana diœcesi avulsi, qui nunc Throno Constantinopolitano subjacent Metropolitæ et eis subjecti Episcopi.

Sequuntur 8 Metropolitæ

2 Siragusæ

4 Rhegii

Isti Synodo, et Ecclesiæ C. P. veteris Romæ Papa a gentilibus detento sunt adjuncti, ab Orientali diæcesi sejunctus pariter

fuit Seleuciæ Isauriensis Præsul idemque cum viginti quatuor sibi subjectis Episcopis C. P. Patriarchæ subditur.

Provincia gloriosissimo Romæ
sive Italiæ Primati Subjecta

Provincia Urbicaria sequuntur urbes 22

Provincia Campaniæ urbes 22

6 Messana

Νῆσος Σικελίας	Insula Siciliæ
Συράκουσα	Syragusæ
Κατανη	Catana
Ταυρομένη	Tauromenium
Μεσηνη	Messana
* Κεφαλοίδιν	Cephaledis
Θερμῶν	Therme
Πανορμος	Panormus
Λιλύβαιον	Lilybæum
Τροκαλις	Trocalis sive Triocola

Ακράγας	Agragas	
Τυνδάριον	Tyndarium	
* Καμαρίνη	Camarina	
* Λεόντιον	Leontium	
Αλέσις	Alete sive Alæsa	
Γαῦδος	Gaudos	Gozo ad Melitam
Μελέτη	Melita	
Λίπαρις	Lipara	Insulæ Æoliæ
Βυρκάνος	Vulcani Insula	
Δίδυμοι	Didyme	
Οὔστικα	Ustica	
Τα Ογαρέα	Onarea	
Βασιλδδιν	Basiludium	

Hec Expositio facta est anno 6391. (891) Sub Imperio D. Leonis Sapientis et sub Patriarcha Photis

Tab. 10.

PATRIARCATUS

Constantinopolitani

Ordo sedium Metropolitarum

(sequunturque provinciæ)

Ab his Archiepiscopi
Provincia Insulæ Siciliæ

Autocephalorum Archiepiscop.

45 Provincia Siciliæ Cataues.

TAB. 11.

T. 16. pag. 319.

Ordo Metropolitarum
prout descriptus est in Cartophylacio, et
quot Episcopi subsint Metropolitis

(post 9. provincias)

Provincia Siciliæ

Syraguse	Lilobii sive Lilybæi
Cataues	Trocaleorum

Tauromenii	Agraganti
Mesones sive Messanæ	Tyndarii
Cehpaludii	Leontines
Thermarum	Aleses
Pomormi	Melitæ

TAB. 12.

Ordo dispositus per Imperatorem Leonem sapientem, quem locum et seriem habeant Throni Ecclesiarum Patriarchæ Constantinopolitano subjectarum.

Metropoles (80) 44 Catana

Archiepiscopatus 39 (17) Mesene

TAB. 13.

pag. 342. T. 16.

Ordo presidentiæ Metropolitarum Apostolico Constantinopoleos Throno Subjectorum, et Episcoporum his inferiorum.

Thronus quadragesimus quartus

Catanæ Trono nullus reperitur subjectus

A Romana vero diæcesi avulsi sunt nunc vero Constantinopolitano Throno subsunt Metropolitæ et ejs subjecti Episcopi.

2. Syragusarum

Syragusarum Siciliæ

1 Tauromenii
2 Messanæ
3 Agragantis
4 Cronii
5 Lilybæi
6 Drepani
7 Panormi
8 Thermarum
9 Cephaludii
10 Aletii
11 Tyndarii
12 Melittes
13 Liparæ

Tab. 14.

Expositio Imperatoris Domini Andronici Palæologi senioris, quem locum nunc

teneant Metropoles quæ Constantinopolitano Throno subjectæ sunt.

(enumerat 509. Metropoles)

36. Catanæ post quadrag. quartum locum ad quinquag. sept. deducta est.

TAB. 15.

Penes Scriptores Byzantinos T. 21. pag. 195. l. 8. opera et studio Domini Anselmi Banduri collecta.

Expositio nova Andronici Imp. qui Metropoles Constantinopoleos alias e minoribus ad majores extulit alias e diverso ad minores Thronos deduxit sicut eas hic notavimus.

(Metropoles 109.)

Catana Thronus fuit 44. ac Affecta est 57.

TAB. 16. Pag. 202. T. 21.

Catalogus Episcopatuum quorum singuli matricibus Urbibus subjciuntur qui nunc ex parte supersunt eorum vero plurimi exoluerunt.

13 Syracusis Siciliæ subjcitur

1 Episcopatus Tauromenii
2 Messanæ
3 Agrigenti
4 Acronii
5 Lilybæi
6 Drepani
7 Panormi
8 Thermarum
9 Cephalædii
10 Alesæ
11 Tymderii
12 Melitæ
13 Liparæ

TAB. 17

Nilus Archimandrita Cognomento Doxopatrius de quinq. Thronis Patriarch. anno 1140.

Syracusæ Siciliæ habens Episcopos viginti unum

1 Cataniæ
2 Tauromeniæ

3 Messanæ
4 Cephaludii
5 Thermarum
6 Panormi
7 Lilybæi
8 Trocalorum
9 Acraganentis
10 Tyndaris
11 Carines
12 Leontines
13 Alesæ
14 Gaudi
15 Melitæ
16 Liparis
17 Vulcani
18 Didymi
19 Ustinæ
20 Tenari
21 Basiludii

Leo Allatius l. 1. c. 24. Fabricius Bibl. T. 5.

Caput 3.

DE STATU ECCLESIÆ SICULÆ PER OCTO PRIORA SÆCULA

§. 1.

Ut bene intelligatur disciplina quæ per acto priora Sæcula in Sicilia obtinuit, non abs re judicamus quænam fuerit conditio temporum quæque sub Ecclesiæ initiis facies rerum breviter innuere. Prima sane Religionis incunabula cruenta admodum extitere sævientibus Ethnicorum in Christianos persecutionibus: cultus enim divinus interdictus, fidei professio horrendis punita suppliciis Episcopi vel speluncis abditi vel carceribus detenti vel martyrio coronati, cunctaque sanguine impleta. Sed ad cognoscenda Ecclesiæ nostræ primordia et sincera martyrum acta, non parum interest inquirere quænam Principum persecuziones in Siciliam grassatæ fue-

Status Ecclesiæ Siculæ

rint; non eo quidem animo quo Dowvellus Cyprianicam edidit ad numerum et gloriam martyrum minuendam, quem satis erudite redarguit Ruinart Præf. ad act. Mart. sed ut vera a falsis dubia ab indubiis secernamus et certiora fiant primæ disciplinæ capita.

§. 2.

Sub Ethnicis Imperatoribus

Primus qui in Christianos sæviit Nero fuit Domitius cujus persecutione totus concussus orbis; sed num etiam in Siciliam sævierit in obscuro manet quamvis Scriptores nostri et persecutionem admittant et martyres sub Nerone defendant ob auctoritatem græci Encomiaste S. Marciani et ob acta nonnullorum Siculorum martyrum. Verum Papebrochius die 14. Junii sicut adnotasse memini ex textu græco probavit non Neronem legendum sed Valerianum et Gallienum acta vero ss. Martyrum quibus illorum sententia innititur veluti commenta rejiciunt Bollandistæ et æruditi; præter hæc quæ nulla sunt nihil aliud in Historia argumentum. Do-

mitiani persecutio quo ad Siciliam incerta est. Illa autem Trajani secundo sæculo efferbuit quæ prima creditur quoad Iusalam nostram et Pancratium Tauromenii Episcopum martyrem occubuisse sustinent nostrates ex Nicephori historia : quamvis martyres Messanenses a Morabito huic addicti persecutioni ipse de Angelis explodit. Certus omnino est Adriani in Siciliam adventus sed ipsius in Christianos Siculos crudelitatis nullum indubium argumentum. Mox Marci Aurelii, Lucii Veri, et Severi odium exarsit sed paucos fuisse Martyres ipse testatur Gaetanus. Maximini exinde persecutionem scriptores non universalem censent quamvis apud nos plures enumerentur Martyres ex actis ss. Alphii Philadelphii, et Cirini; sed cum hæc supposititia sint nihil certi eruere possumus. Super omnes adversus Siculos sævierunt Decius, Valerianus et Gallienus ac potissimum Diocletianus, subquibus immanissimis hostibus rem Christianam Insulamque nostram illustrarunt maxima Ecclesiæ Siciliensis ornamenta Maximilianus, Marcianus, Agatha, Euplus Lu-

cia, aliique quorum memoriam non neglexit antiquitas. Animadvertendum igitur est Martyres Siculos si paucos demas ad horum Imperatorum ætatem rejiciendos esse et acta quæ prædicantur antiquiora suspectæ fidei esse. Consule inter Bollandistas Papebrochium ad Sanctos Siculos. Gaetanum Isag. c. 2. De Angelis de Persec.

§. 3.

SubWandalis

Vix Constantini conversione requieverat a malis Insula cum Sæculo quinto Wandalorum nimbus intonuit: ipsi enim pervastata Italia Siciliam aggressi sunt cunctaque igne ferroque consumserunt: quod ex Salviano eruitur, Wandalos Siciliæ civitates partim diripuisse partim solo æquasse „ quapropter certo scimus non defuisse confessores et Martyres sed eorum memoria temporum injuria periit; nam Victor vetustissimus scriptor, de Wand. Pers. tradidit de Genserico „ quæ in Sicilia gesserit melius ibi ipsi quæ passi sunt miserabiliter lugenda narrabunt „ et quidem

plura coævis Episcopis narravit qui plura passus est insigne Ecclesiæ Siculæ decus Pascasinus Lilybætanus Episcopus quem Leo Magnus ejus miseratus casus suis litteris consolatus est.

§. 4.

Perperam Gaetanus inter persecutores Ecclesiæ Gothos recenset cum exploratum sit Teodoricum primum eorum regem in Italia, amantissimum æqui fuisse adeo ut magni Principis nomen meruerit, sicut ex Cassiodoro, et innumeris quæ supersunt monumentis patet V.Cod.Joan de Joanne in dipl. Teodorici. Hic igitur Rex Italiam ingressus, expulsis Wandalis, Regnum non usurpavit sed Zenonis Imperatoris consensu armis acquisivit, quo potitus, non nova jura invexit, sed vetus jus Romanum servavit eosdemque magistratus idemque regimen quo prius gubernabatur Italia custodiri jussit Quamobrem ipsi congratulabatur Gelasius Papa, si fides Gothofredo in proleg. ex Gelasii P. Epis. in

Sub Gothis

decr. Juonis p. 1. c. 18. ad Teodoricum „ Certe est magnificentiæ væstræ leges Romanorum Principum, quas in negotiis hominum custodiendas esse præcepit, multo magis circa B. Petri Apostoli sedem pro suæ felicitatis augumento, velle servari „ Gothorum insuper mores, et si fides ariana, honestissimi erant teste Salviano qui ex hoc ipso catholicos arguebat „ impudicitiam nos diligimus Gothi exacrantur etc. „ V. Jannonium T. 1. l. 3. Gothi igitur inter persecutores Ecclesiæ enumerari non possunt nec revera ullam Ecclesiasticam vel politicam perturbationem invexerunt si paucas demas gothicas consuetudines vel quædam peculiaria facta. Monendum quoad hanc primam ætatem quod si fuerint exinde quædam barbarorum incursiones in quibus et martyres occubuerint non ideo persecutiones totius Ecclesiæ Siculæ existimandæ.

§. 5.

Martyres

Siculum sane martyrologium magna syl-

ra quia Scriptores nostri tum ob male intellectam in Ecclesiarum fundatores reverentiam tum ob nimium erga propriam Patriam amorem, Ecclesias prædicarunt Apostolicas, martyres fundatores. Et sicut acta sincera martyrum et Sanctorum veterum vitæ a coævis scriptæ auctoribus perierunt uti constat de actis S. Pancratii ab Evagrio scriptis hinc Biographi mediæ ætatis nova substituerunt efficta et ea ipsa quæ naufragium infidelium vastationis evaserant, corrupta et mixta fabellis ediderunt. Quapropter Papebrochius in vita S. Marciani die 14. Junii ut supra attulimus ita scripsit „ quæ antea non magis frugum, quam fabularum ferax fuit Insula talis etiam fuit post inductam Christi fidem, ut probant tot vitæ Sanctorum græca verbositate et fide Auctoribus non suis suppositæ„ Et jure quidem meritoque nam post Metaphrasten quædam pia fraus invaluit et prodigiosæ modus enarrationis: hinc primos Episcopos Apostolicos et martyres, subitam infidelium conversionem, templa primo Sæculo et secundo decenter constructa, cultum Imaginum et Con-

fessorum, vitamque monasticam effinxerunt: et mirum sane quod usque ad ultimam ætatem defensa legamus figmenta medii ævi epistolam B. Mariæ Virginis ad Messanenses, vitam S. Philippi Argyrensis ab Atanasio, et ab Eusebio Monacho scriptam, Acta S. Peregrini, Acta SS. Alphii, Ppiladelphii, et Cirini et alia hujus furfuris, aut penitus ficta, aut corrupta et erroribus refercia, ex quibus non pauci errores in historiam et disciplinam Ecclesiæ Siculæ irrepserunt Octavius Gaetanus magnum opus martyrologii corrigendi suscepit sed ars critices nondum invaluerat et res ex voto non cessit, nam acta fabulis, mendisque quibus scatebant haud ipse purgavit nec spuria explosit nec anacronismos correxit. Utinam in lucem prodeant Dissertationes mss. a Joanne do Joanne exaratæ de correctione Pirri et Gaetani quoad martyrologium Siculum quas inter legalia volumina sepultas inveni et distincto loco reposui.

§. 6.

Ut statum Insulæ nostræ per priora sæcula facilius intelligamus et inde fontes disciplinæ Ecclesiæ Siculæ clarius elusescant inquiramus oportet num Insula inter suburbicarias provincias Vicarii Urbis Romæ ideoque et Ecclesia nostra inter Suffraganeas Romani Metropolitæ recenseretur Hanc de Patriarchatu et Provincia Romani Pontificis primus excitavit quæstionem Romanæ Sedis inimicus homo Salmasius et gravis exarsit inter ipsum et Sirmondum contentio. Ille igitur Pontificis auctoritatem parem ac Præfecti urbis sustinuit et eamdem Diæcesim utrique tribuit, quam tamen non ultra centesimum ab Urbe lapidem produxit et hic omnis erat Patriarchatus Pontificis: hæc autem diæcesis ex ejus sententia quatuor tantum provincias continebat quæ urbicariæ vel suburbicariæ dicebantur: et ita iisdem limitibus coercebatur Pontificis potestas sicut illa Præfecti Urbis. Hanc Salmasii fabellam satis erudite explosit Sirmondus de Suburb. Reg. Et sicut enatæ sunt

Regimen politicum Siciliæ

Sicilia Romæ Suburbicaria

Opinio Salmasii

ex hisce principiis variæ opiniones quæ jus Pontificis Patriarchicum et metropoliticum jam diu constitutum destruunt et plurimarum Ecclesiarum regimen illius ætatis et potissimum Insulæ omnino confundunt, propterea nostrum erit rem ipsam breviter pertractare.

§. 7.

Aliorum

Canonicus Stephanus Dichiara nuper edidit memoriam de consecratione Episcoporum Sicilientium, in qua Cap. 8. sustinuit non fuisse a Constantino M. inter provincias suburbicarias Siciliam recensitam 2. nec Siculam Ecclesiam Pontificem habuisse Metropolitanum, ut inde probaret Siciliam veram fuisse diœcesim et proprio Metropolitæ subditam vel potius aliquo modo ad Orientem quam ad Occidentem pertinuisse Primam propositionem quam exposuit Joannes Joannii in nota addipl. 10. comprobat lege Constantii Imperatoris et Juliani in epistola ad Taurum Præfectum „ exemplo Africæ debent fundi patrimoniales et enphyteutici per Ita-

liam constituti ab extraordinariis omnibus excusari. Non enim per Italiam tantum, sed etiam per urbicarias regiones, et Siciliam patrimonialium et enphyteuticorum fundorum vires servandas esse perspeximus l. 9. Cod. Teod. de extr. et sord.„ Ex hac lege eruit 1. quatuor fuisse deæceses Africam, Italiam, regiones urbicarias, et Siciliam Præfecto Tauro commissas, 2. hasce diæceses inter se distinctas 3. Siciliam non provinciam suburbicariam sed diæcesin 4 regimen istud jam ab ætate Constantini M. inductum et husque ad hanc Constantii legem observatum et ultra. Sic igitur auctor hisce propositionibus aperit sibi viam ut adstruat per illam ætatem fuisse in Sicilia quemdam Primatem ut in Africa non Episcopos Romano metropolitæ suffraganeos. Sed damus petimusque vicissim hanc veniam ut suam quisque sustineat sententiam et ab aliorum recedere liceat.

§. 8.

Ad refellendam hanc opinionem jam diu Confutatur

explosam sedula et accurata utimur Historia Petri Josephi Cantelii Metropolitanorum urbium civili et Ecclesiastica in qua passim Imperii et Ecclesiæ regimine explanando Salmasii aliorumque auctorum errores docte et erudite refellit.

Imperii Divisio

Partitio igitur Romani Imperii in Orientalem et Occidentalem antea designata tandem a Constantino M. perfecta et constituta fuit et a successoribus renovata.

Constantinus divisit Romanum Imperium in quatuor partes: Oriens et Illiricum erant partes Orientales. Gallia et Italia partes Occidentales, quatuorque subditæ Præfectis prætorio, et unaquæque in plures dividebatur Diæceses: Oriens quinque Diæceses habebat, Orientalem, Egyptiam, Asianam, Ponticam, et Traciam, sub uno Præfecto Illiricum duas Macedoniam, et Daciam sub alio Præfecto. Imperium Occidentale constituebant Gallia et Italia: Gallia ex tribus Diæcesibus constabat Gallica, Hispana, et Brittanica, et aliis tribus Italia sive Italica Illirica et Africana: Illiricum enim sub Gratiano et Theodosio in

duas partes divisum fuit, et una Orientali altera Occidentali Imperio tributa. Diœceses istæ ex pluribus provinciis coalescebant. Septem igitur Orientis diœceses duobus Præfectis: sex Occidentis aliis duobus subjiciebantur: unaquæque diœcesis Vicario suberat, et quælibet provincia Præsidem habebat, vel Comitem Proconsulem, Correctorem, sed Africa non Vicario sed Proconsuli subjecta sicut et nonnullæ aliæ diœceses. Omnis autem Italia suberat Præfecto Prætorio, qui eam in duas diœceses divisam per duos Vicarios gubernabat unum Romæ alterum Mediolani, hic dicebatur Vicarius Italiæ, ejusque provinci Italiæ provinciæ. Ille Vicarius Urbis ejusque provinciæ Urbicariæ, et Suburbicariæ dictæ sunt. Quæ vero fuerint provinciæ Urbicariæ Uicario Romano subditæ ex ipsa Imperii notitia Constantini Magni discimus sicut et quæ hactenus exposuimus En verba „ sub Dispositione V. S. Vicarii Urbis Romæ provinciæ infrascriptæ, Consularis Campaniæ, Tusciæ et Umbriæ, Piceni suburbicarii, Siciliæ: Corrector Apuliæ et Calabriæ, Bru-

tiorum et Lucaniæ, Prèsides Samnii, Sardiniæ Corsicæ Valeriæ „ decem igitur ad Vicarium Romæ septem aliæ ad Vicarium Italiæ pertinebant. Hæc omnia invenies apud Cantelium in descriptione Rom. Imp. p. 2. diss. 6. c. 1. et apud Sirmondum Dupinium de suburb. region. l. 1. c. 7 de ant. Eccl. disc. diss. 1. et 2. Jannon. T. 1. l. 2. c. 1. aliosque quamplurimos. Ex hac Imperii divisione jam ab Adriano incohata, et a Constantino perfecta, certum est Siciliam urbicariam fuisse ut patet. Exploratum quoque est hanc divisionem Imperii post etiam Costantium, et Julianum perdurasse, imo notitiam cujus meminimus, peractam post Costantium sub Theodosio credunt eruditi; nec ulla per hanc ætatem immutatio memoratur. Quid igitur erui potest ex lege Costantii ad Taurum præfectum quæ distincte præter urbicarias provincias Siciliam nominat? nihil equidem. si enim certum urbicariam fuisse Siciliam ex præhabitis nec ullum sit vestigium apud veteres hujus diæceseos parum refert distincte nominari et causam quæcumque fuerit igno-

mari cur sic indigitata vel cur a pendendis extraordinariis exempta. Cæterum ipse Joannius qui in nota ad Dipl. 10. videtur Gothofredi sententiam sequi, clarissime tum de div. off. c. 5. cum diss. 2. ad Dipl. sustinet Siciliam inter suburbicarias provincias comprehensam fuisse.

§. 9.

Vetus regimen Ecclesiæ Siculæ

Altera præfati auctoris alioquin docti propositio, quæ ex prima profluit est illa qua sustinet non satis constare Romanum Pontificem Siciliæ Metropolitam fuisse et probabilius videri Siciliam Primatem quemdam sicut Africam sibi proprium habuisse, qui jure metropolitico frueretur; immo eo usque vaticinatur ut Siciliæ Episcopos credat potius Orientalibus quam Romanæ sedi adhæsisse per totum quartum Sæculum. Hanc propositionis novitatem tribus adstruit conjecturis quod in Sicilia Synodus habita fuerit ob adventum Episcoporum ex Lampsaco redeuntium 2. ob nostrorum præsulum adhæsionem

Episcopis Orientalibus et Conciliis 3. ob Orientalem disciplinam ut ex solemni baptismate in vigilia Epifaniæ more Grecorum ostendit: hinc conjiciendo definit Siciliam nec urbicariam provinciam Vicario Romano subditam, nec Ecclesiam Siculam Romano metropolitæ usque ad Leonem M. qui primus post Wandalicam persecutionem Siculos Episcopos Romanæ sedi metropoliticæ addixit.

§. 10.

Primas Italiæ Romanus.

Hanc opinionem discutiamus oportet ut magis status Ecclesiæ Siculæ per hanc ætatem innotescat. Animadvertendum igitur primo est Insulam nostram jam ab initio Romano Imperio Occidentali adscriptam fuisse sicut exploratum novimus ex ipsa Imperii notitia, ex monumentis historicis illius ævi, ex legibus Imperatorum per Praefectum prætorio Italiae indictis donec lapso Imperio Occidentali Belisarius Justiniani Imperatoris dux Insulam Gothis ereptam in Graecorum imperium redegit V. Gaetanum Isag. c. 4. num. 9. Cantelium cap. de Sicilia, Jannonium l. 1.

secundo Civili politiae respondebat ut plurimum ecclesiastica ideoque diaecesibus quibus praeerant Vicarii civiles praeerant Primates Ecclesiastici : sed non semper Ecclesia suam politiam civili conformabat, nec semper diaecesis Vicario parebat sicut Africa non Vicario sed Proconsuli nec omnis diaecesis Primatem habebat sicut Mediolano non Primas sed Metropolita praeerat, ut jam adnotasse memini. In Italia igitur duo erant metropolitani Romanus et Mediolanensis unus tamen primus romanus Pontifex„ qui hanc„ inquit Cantelius Diss. 6. c. 3. primatus dignitatem Romano Episcopo detrahat, nemo est, nisi aut haereseos contactus labe, aut litterarum omnino rudis, saepe enim Galliae, Hispaniae Africae primates legere est, Italiae nusquam praeter Romanum Pontificem „

§. 11.

Nullus in Sicilia

Provinciae igitur sicut Vicario urbis sic Metropolitae romano parebant excepta Sardinia cujus Lucifer Calaritanus tanquam Sardi-

niæ metropolita ab Atanasio, Teodoreto et Cassiodoro memoratur et ex litteris Gregorii M. exploratum est. Siciliam autem si defendi posset metropolitanum aliquem aut primatem habuisse et ipse defenderem sed ne quidem ullum in Historia suppetit monumentum immo contraria prostrant argumenta et ea quæ affert hic novus assertor leves pene sunt et inanes conjecturæ: Synodi quæ indicantur sive nationales sive alio quocumque nomine distinguere volueris in tanta hæresis Arianæ perturbatione celebratæ semper sicut in quavis Ecclesia ita in Sicilia habitæ sunt pro rebus extraordinariis quas etiam legimus sub ipsa ætate Gregorii M. nihil inde inferendum. Nec mirum si Episcopi Synodi Lamsacenæ obtentis a Liberio Papa communicatoriis litteris per Siciliam transeuntes easdem litteras expostulaverint a Siculis Episcopis: illis enim difficillimis temporibus in quibus et plurimi Episcopi a fide defecerant et plurimi sicut et Legati Lampsaceni Nicenam fidei professionem simulabant, bonum ipsis visum est redeuntes in Orientem per Siciliam litteris etiam

Siculorum Episcoporum muniri quorum fidei integritatem noverant Orientales. Sed cur, inquies, habitis litteris a Romano Pontifice et metropolita nomine totius Occidentis, Siculos suffraganeos Episcopos consuluerunt? nisi quia alterius metropolitæ vel primatis auctoritatem quærebant qui in Sicilia degebat. Ut facile innotescat quam falsa sit hæc illatio velim animadvertas, Legatos Lamsacenos non huc advenisse ut sibi litteras metropoliticas compararent; si enim illorum hæc mens fuisset Sardiniam, Galliam Hispaniam Africam quoque peragrassent, et Synodo Tianensi omnium litteras exhibuissent non Siculorum Episcoporum et Pontificis solum Auctoritate contenti ipsorum tantum epistolas in Concilio perlegerunt. Si ergo omissis primatibus Occidentis testimonium a nostris Episcopis expostularunt non alia fuit causa nisi quia per Siciliam transeuntes, ut moris erat occurrentes Episcopos certiores facerent de fide quam profitebantur, ut communionem reciperent, de causa itineris, et de hæresi quæ per Orientem grassabatur: et ita

habita extraordinaria Synodo litteras communicatorias indulserunt tanquam testimonium fidei unitatis Ecclesiae Siculae. Remigitur colligam 1. ex habita Synodo non probari Siciliam metropolitam habuisse quia quaelibet Ecclesia suas habuit Sinodos extraordinarias sicut et Sicula sub ipsa aetate Gregorii M. ut infra 2. consuli possunt et debent suffraganei Episcopi praeter metropolitanum quia hic nil habet prae caeteris suffraganeis in rebus definiendis nisi jus indicendi Synodum et praesidendi: si autem loquatur de Romano Pontifice, quid majoris auctoritatis, posito decreto Liberii Papae nomine totius Occidentis, Synodus Sicula attulisset etiam cum metropolita? nisi testimonium fidei Ecclesiae Siculae?

§. 12.

Num Ecclesia Sicula Graecis subdita

Conjcit exinde Siculam Ecclesiam potius Orientalibus addictam fuisse quam Romanae Ecclesiae ex eo quod legimus Capitonem Siculum fidei Nicenae defensorem ab Atanasio commendatum aliosque nonnullos qui Conci-

liis Orientalibus interfuere quos habes apud Gaetanum Isag. c. 36. Quid inde forsitan ex eo metropolitica erat Sicilia? et Siculus Metropolitanus Orientis Patriarchæ subditus? aut potius primati Africano quia Atanasius ad Afros scripserit? sæpe conjectando erratur. Quid opus ariolari cum historia claram suppeditat explicationem. Constantinus vocavit Chrestum Syracusanum aliosque duos secundi ordinis ad Arelatense concilium plenarium et ipse Constantinus congregavit Nicæe Episcopos totius orbis inter quos erat Siculus Capito, qui fidem adversus Arianos vindicavit. Et quid mirum in tanta Ecclesiæ fluctuatione ob præpotentem Arianorum et Semiarianorum hæresim invenire Episcopos in Oriente? nunquid Siculi non erant Episcopi in partem sollicitudin s vocati? Cæterum, exploratum est, sive ex munere consecrationis sive ab Ecclesiæ fundatione Siculam Ecclesiam ad Orientem non potuisse pertinere: si autem ob Historiæ inopiam monumenta quædam desint, antiquitatis obscuritas per insequentia facta explicatur ut infra videbimus.

sciplinam affectantes: sed tantum novitatis, et ex totius æpistolæ contextu satis clare eruitur, Pontificem habita notitia Episcopos reprehedisse eorumque decessores quia inducta novitate disciplinæ a Romanis institutis quibus adstringebantur non sine piaculo recessissent „ vos inquit Leo M. ab Apostolicæ institutionis consuetudine discrepare, ita ut b ptismi sacramentum numerosius in die Epiphaniæ, quam in paschali tempore, celebretis: miror v s, vel prædecessores vestros tam irrationabilem novitatem usurpare potuisse: in quam culpam nullo modo potuissetis incidere, si unde consecrationis honorem accepistis, inde legem totius observantiæ sumeretis; et B. Apostoli sedes, quæ vobis sacerdotalis mater est dignitatis, esset Ecclesiasticæ m gistra rationis, a cujus vos regulis recessisse minore posset æquanimitate tolerari, si aliqua commonitionis nostræ increpatio præcessisset: nunc autem quia non desperatur correctio, mansuetudo servanda est „

§. 14.

Anno igitur 440. electus fuerat Leo Magnus Pontifex, eodem anno accidit persecutio Vandalica: anno 447. Leo scripsit hanc Epistolam, ex ejus hypothesi jam pacata erat persecutio, et jam Leo Magnus primus erat Siciliæ metropolita: cur ergo paucis annis ab instituto novo jure metropolitico, Pontifex tam acriter reprehendit non solum viventes Episcopos sed etiam decessores? quænam erat causa quærimoniæ in Gregorium martyrem aliosque mortuos Episcopos qui ante Leonem Magnum, immo ante novum regimen inductum suis præerant Ecclesiis, et ex ejus hypothesi non suberant Romano metropolitæ sed vel acephali, vel suo Siculo metropolitano vel græco Patriarchæ subjecti, suis gubernabantur legibus? si præterea decessoribus etiam imputabatur ad culpam ritus ille noviter irreptus a Romano diversus quia munus consecrationis a Romano Pontifice sive a Leone primo acceperant; a quonam Paschasinus, qui in persecutione fuerat Gregorius alii-

que Decessores quos redarguit acceperunt? et unde jam antea Innocentius primus testatum reliquerit tamquam manifestum nullum in Sicilia præter divum Petrum ejusque Successores Episcopos constituisse. Nunquid excidium a Vandalis illatum mutati regiminis causa fuit? sed gratis asseritur nec Africa nec multæ Italiæ provinciæ easdem excursiones passæ formam politiæ commutarunt: nec omnino verum ante annum 447. inqua scripta Epistola sedatam fuisse persecutionem nam ultra recruduit ad oram lybici maris. Cæterum hujus ætatis plura suppetut monumenta et tamen ne ullum quidem verbum nec in Epistolis Leonis Magni nec Paschasini, nec apud Scriptores Victorem, Sidonium Idacium Isidorum aliosque immo tota tacet antiquitas. Unde ergo conjicit regimen vetus immutatum a Leone M. fuisse. Non sane conjecturis sed firmissimis argumentis a communi veterum sententia recedendum est. Concludendum igitur cum tota antiquitate Siciliam inter provincias suburbicarias recensendam esse, et Episcopos Siculos per octo prio-

ra sæcula ut infra videbimus inter Romani metropolitæ suffragancos.

§. 15.

Juris Canonici Siculi fontes

Siciliensis igitur Ecclesiæ magistram disciplinæ Romam fuisse legesque et sacras traditiones per priora sæcula a Romana Sede accepisse ex triplici capite exploratum noscimus primo quidem ex Siciliarum Ecclesiarum fundatione 2. ex Episcoporum consecratione 3. ex jure Pontificis metropolitico, de quo jam satis diximus. Sicut autem constanti semper traditione creditum Divum Petrum vel ejus saltem successores Siculam Ecclesiam fundasse ita semper veluti matrem Ecclesiam Romanam et disciplinæ magistram Siciliani venerati sunt sueta illa reverentia in illam sedem a qua primi Ecclesiarum fundatores missi sunt. Quod sane vinculum inter utramque Ecclesiam in dies augebatur ob munus consecrationis quod Episcopi Siculi a Romano Pontifice accipiebant. Hæc tam religiose prima ætate custodiebantur ut Innocentius 1. sub

initiis Sæculi quinti in ep. ad Decentium Eugubinum Episcopum Siculos vehementer hortatus fuerit ad avitas traditiones custodiendas ex eo quod „ manifestum esset in omnem Italiam Siciliam Insulasque interjacentes nullum instituisse Ecclesias nisi eos quos venerabilis Apostolus Petrus aut ejus successores constituerint Sacerdotes , aut legant si in his provinciis alius Apostolorum invenitur aut legitur docuisse quod si non legunt quia nusquam inveniunt oportet eos sequi quod Ecclesia Romana custodit a qua eos principium accepisse non dubium est : ne dum peregrinis assertionibus student caput institutionum videantur omittere „ Cod. Dip. 25. Iisdem principiis innixus Leo M. Episcopos nostros incusat quod studio novitatis abrepti relicto Romanæ Ecclesiæ instituto in praxin Africanam deflexerint „ in quam culpam nullo modo potuissetis incidere si unde consegrationis honorem accepitis , inde legem totius observantiæ sumeretis et B. Apostoli sedes , quæ vobis Sacerdotales mater est dignitatis esset Ecclesiasticæ magistra rationis „

hoc idem argumentum Gregorius Magnus, in epist ad Joannem Syracusanum, Siculis urget ut non aliunde discerint disciplinam quam ab Ecclesia quam etiam matrem appellavit „ nam vestræ Ecclesiæ nunquid traditionem a Græcis acceperunt? Unde habent ergo hodie ut Subdiaconi lineis in tunicis procedant, nisi quia hoc a matre sua Romana Ecclesia perceperunt „ ex quibus verbis hauseris quoque Siculos anteactis sæculis nil a Græcis accepisse. Hoc testantur Innocentii; Leonis M., Gelasii 1. Gregorii M. aliorumque Pontificum et Scriptorum illius ævi

§. 16.

Decretales Pontificum et Canones Rom. Conciliorum

Summa igitur rerum Ecclesiæ Siculæ penes erat romanum metropolitam qui ex veteri more Vicarium in insula constituebat ob provinciæ dignitatem et utilitatem qui majores causas Romam deferret minores ipse discuteret: quo munere diu multa laude functus est insignis Ecclesiæ Syracusanæ Episcopus Maximianus. In rebus dubiis fidei vel di-

sciplinæ matrem Ecclesiam Episcopi consulebant ejusque responsa pari reverentia amplectebantur. Romam adeuntes ad provinciales Synodos sæpissime celebrandas, canones ibi constitutos huc deferebant observandos: et si inopinatum aliquid exortum fuerit in Synodis Episcopalibus hic celebratis definiebatur. Nullus igitur erat codex legum publicus nec ille Dionisii exigui qui privata auctoritate compositus sexto sæculo ineunte in occidente obtinuit: sed Pontificum decretales, Canones provincialium Synodorum, praxis et traditio romana quam didicerant Episcopi et vetustæ prædecessorum consuetudines paulatim in formam codicis abicre quem unaquæque Ecclesia Sicula in sua bibliotheca retinebat.

§. 17.

Hisce non obstantibus luce meridiana clarioribus argumentis gravia transacta ætate exorta sunt dissidia inter Scriptores Siculos, pro constituendo jure metropolitico suarum

ex jure Metropolitico

Ecclesiarum et alter in alterum odio plusquam Vatiniano insurrexit. Ipsi quidem velut exploratum existimantes Siculam olim Ecclesiam suum metropolitam habuisse digladiabantur inter se cuinam Ecclesiæ tribuendum. Itaque Albertus Piccolus acri stylo suam Ecclesiam Messanensem metropoliticam jactitavit quem sequuti sunt Carolus Morabitus aliique ex Messanensibus. Roccus Pirrus Messanenses refellens Panhormitanæ Ecclesiæ jus illud indulsit. Dein Antoninus Amico ne videretur Messanensibus blandiri quia civis aut Panhormiensibus quia Canonicus hujus Ecclesiæ Syracusis tribuit odia utriusque urbis eludens. Pari studio eamdem dignitatem Tauromenio detulit Franciscus Scorsus, et Ecclesiæ Catanensi Joannes baptista Grossus. Inanes istorum sententias et quæstiones Petrus Josephus Cantelius His. Metrop. p. 3. Diss. 5. c. 4. et exinde Joannes de Ioanne Cop. Dipl. Diss. 2. vapularunt. Unde sane quæstio cui tribuenda dignitas metropolitica si nullus unquam usque ad Græcorum usurpationem metropolita in Sicilia sed unus tan-

tum Pontifex Romanus? argumenta quibus hoc adstruitur hæc sunt 1. Sicilia inter suburbicarias provincias certissime recensetur, Ecclesia Sicula inter suffraganeas 2. Epistolæ Leonis 1. Gelasii M. non ad unum metropolitam sed ad omnis Siciliæ Episcopos dirigebantur 3. omnis externa disciplina a Romano metropolita pendebat confirmatio et consecratio Episcoporum 4. causæ majores Romam deferebantur, minimarum cognitio Vicario in Sicilia committebatur. 5. Adversus Episcopos accusationes ad Pontificem referebantur et ipse judex cognita causa judicium ferebat sicut in vita Gregorii 2. Agrigentini legimus apud Leontium quamvis minores causæ ex lege Teodorici hic finirentur. 6. Ecclesiarum consecrationes ex venia Rom. Pontificis agebant Episcopi 7. et ipsi Pontifices Ecclesiis Siculis vacantibus dabant visitatores. 8. quovis triennio vel quinquennio Romam adire cogebantur ad Concilium Romanum. 9. Denique Synodis Episcopalibus totius provinciæ Siculæ hic celebrandis jussu Gregorii M. Petrus subdiaconus roma-

nus præsidebat Hæc omnia quæ sacram Ecclesiæ nostræ politiam constituunt satis ostendunt nullum in Sicilia fuisse metropolitam sed solum Romanum Pontificem . Consule cit. Auctores . Disciplina igitur externa quæ ex forma regiminis pendebat , Romana fuit et similiter Romana fuit interna lingua , sacer ritus , lyturgia sacramentaria , Psalmodia , festorum celebratio , vestimenta sacra , ministrorum ordo , jura , officia aliaque omnia latina erant et , Romanam disciplinam redolebant sicut ex Epistolis Leonis M. et Gregorii M. supra allatis erueris , et nos suo loco exponemus .

§. 18.

Concilia

Quamvis autem Sicilia suburbicaria fuerit florentissima tamen et inter præcipuas Occidentis Ecclesias habita et quamvis Episcopi fuerint suffraganei , tanta tamen erant doctrina , et sanctitate conspicui , ut ad tuendam fidem , et disciplinam primariis Conciliis vocati intervenerint et hic quoque Concilia celebraverint . Rem istam Scriptores nostri

pertractarunt quoad latinam ætatem sed quia et ad prænotiones canonicas pertinet et in sequentibus epochis de Siculis conciliis redibit sermo ideo non duximus omittere ut dignitas et status Ecclesiæ Siculæ hujus ætatis magis elucescat. Ad Concilium igitur Arelatense ob causam Cæciliani Episcopi Carthaginenis Chrestum Syracusanum antistitem ejusque Diaconum Florum aliosque duos secundi ordinis suis ipse litteris Constantinus M. convocavit. Cod. Joannii Dipl. 1. Apud Nicænum 1. et Sardicense et si nullus Episcopus noster inveniatur subscriptus duo tamen convenisse suadent primum quia constat nomina Episcoporum occidentis temporis injuria ex decretis Sinodi excidisse. Secundum quia et indictio fuit ex toto orbe et Atanasius Capitonem Siciliæ Episcoporum inter propugnatores fidei Nicenæ adversus Arium enumerat l. 1. cont. Arian. Evagrius incertæ sedis Concilio Antiocheno et quidam innominatus Syracusanus Episcopus Constantinopolitano interfuerunt: mutilæ subscriptones Sardicensis nullum ex nostris ostendunt. Insignis Lilibæi Epi-

scopus Paschasinus bis a Leone M. consultus de die Paschatis Apostolicas vices in Concilio Calcedonensi summa cum laude sustinuit. Conciliis Romanis ob causam Symmachi, ob Typium Constantis sub Martino, ob monothelismum sub Agatone Siculos Episcopos subscriptos legimus. Constantinopolitano 2. adfuit teste Nicephoro l. 17. c. 27. Gregorius Agrigentinus „ vir vitæ sanctitate, eloquentia et veritatis doctrina omnibus prope superior „ Nicenum 2 et auspicatum et absolutum fuisse adversus Iconomachos opera nostrorum Episcoporum ex ipsis Synodi actis eruimus. Denique in octava Synodo œcumenica ex nostris Episcopis aliqui cum schismatis dedecore nominantur aliqui vel pænitentes reconciliati vel catholici adfuerunt.

§. 19.

ex jure Metropolitico

Jam a prima ætate Concilia in Sicilia habita memorantur sed eorum acta non extant: juvat tamen ea quæ fuerint recensere. Disceptatur inter æruditos num habitum fue-

rit in Sicilia circa annum 125. Concilium Provinciale adversum Heracleonem Valentini sectatorem. Quæsitio orta est ob librum vetusti anonymi qui Prædestinatus inscribitur a Jacobo Syrmondo editum an. 1643. dein bibliothechæ P. P. insertum an. 1677. In hoc libro hoc extat testimonium „ Heresis Heracleonitarum ab Heracleone adinventa est, quæ baptizatum hominem sive justum, sive peccatorem loco sancti computari docebat; nihilque obesse baptizati peccata memorabat: hic in partibus Siciliæ incohavit dicere. Contra hunc surrexerunt Episcopi Siculorum Eustachius Lilybæorum et Panhormæorum Teodorus. Quique omnium qui per Siciliam erant Episcoporum Synodum exorantes, gestis eum audire decreverunt, et universas assertiones ejus dirigentes ad S. Alessandrum urbis Episcopum rogaverunt, ut ad eum confutandum aliquid ordinaret. Tunc S. Alessander ad singula quæque capita hydri singulos gladios Verbi Dei de vagina Domini Verbi eliciens, librum contra Heraclionem ordinans, ferventissimum ingenio Sabinianum

destinavit, qui ex scriptis Episcopi, et assertione sua ita eum confutaret, ut nocte media navis præsidio fugeret, ut ultra ubinam devenisset penitus nullus sciret „

§. 20.

Exploditur

Nullum quidem aptius monumentum, si vere indubium esset, ad constituendam et Conciliorum nostrorum et multo magis Ecclesiarum vetustatem: quam ob rem recensiores Panhormienses, apud Pirrum enim et veteres altum silentium, Joannes Amato de princ. templo f. 10., Mongitorius App. ad Bibl. sic. num 23. et in Apol. §. 8. f. 42. et Franciscus Serius Diss. 7. securius Ecclesiæ Panormitanæ Apostolicitatem tuentur et mirum quod hujus libri authentiam defendant quoque Labbæus in lib. Synodico „ et Pagius Brev. pont. T. 1. f. 21. Attamen gravissimi auctores velut suppositum respuunt Dupinus T. 1. Bibl. Ecc. lat. edit. de conc. sæc. 1. Cav. sæc. 2. Nal. Ales. sæc 2. 3. ar. 6. ex nostris de Angelis Isag. sæc. 2. §. 1.

Ego autem fabulis accenseo testimonium hujus libri cujus etiam incriptio epocham semipelagianam redolet. Nam ipsa narratio, et unio Alexandri cum Heracleone suadet velut suppostitium rejicere testimonium et librum. Omissis igitur argumentis a prælaudatis Scriptoribus allatis, sufficiat illud ex ratione temporum ductum cum qua congruere nunquam potest historiola ab anonymo relata. Eusebius Hist. Ec. l.4. c. 4. 5. hæc habet „ Anno principatus Hadriani III. Alexander Romanæ Urbis Episcopus fato functus est ... cuisuccessit Xystus. Porro annum imperii sui 12. agente Adriano cum Xystus Episcopatum Urbis Romæ decem anannos obtinuisset, septimus ab Apostolis Telesphorus in ejus locum successit„ Igitur dies emortualis Alexandri Papæ incidit in annum 119. qui est annus 3. Imperii Hadriani et anno 128. mortuus est Xystus cui successit Thelesphorus. Unde ergo sub Alexandro celebratum in Sicilia Concilium an. 125. et quamvis acta martyrii Alexandri ad ævum Trajani pertinent qui ante an. 117. regnavit tunc crescit argumentum sed acta isthæc velut suppositia merito rejeiuntur

a Baronio aliisque eruditis. Quod si protrahatur vita Alexandri ad annum 125. et ultra quomodo conciliari potest cum historia Valentini qui post annum 140. vixit et Heracleonis ejus discipuli qui post annum 150. ætate Hyrenæi? Merito igitur ut fabulam rejicimus et Concilium et Historiam. Prima Synodus creditur ea quæ memoratur ab Atanasio ep. ad Ep. Afric. habita post Concilium Nicenum 1. ab Episcopis qui in Siciliam redierunt „ Concilio Nicæno universus orbis assensum præbuit, et quamquam multæ habitæ sunt Synodi, hujus autem omnes sunt memores, tum per Macedoniam, Græciam, Cretam aliasque Insulas, Siciliam et Cyprum„ Secunda si fides Socrati lib. 4. c. 11. ob adventum legatorum Sinodi Lampsacenæ „ quibus acceptis litteris (Liberii Papæ) legati in Siciliam proficiscuntur, ubi Concilio Episcoporum Siculorum convocato coram illis similiter fidem consubstantialitatis se servare confitentur „ Cod. Dipl. 13. 16. Tertia Synodus teste Idacio in Cronico habita fuit in Sicilia adversus Maximinum Arianorum ducem „ Gen-

sericus Siciliam depredatus Panhormum diu obsedit, qui damnati a catholicis Episcopis Maximini apud Siciliam arianorum ducis adversus catholicos præcipitatur instinctu ut eos quoquo pacto in impietatem arianam cogeret „ Quartum deducunt Scriptores nostri ex epistola Maximi ad Siculos cum enim ipse omnem navasset operam ut coactis Conciliis romæ et in Africa Hectesis Eraclii damnaretur Siciliam petiit ubi et multum sategit seque a nota sibi objecta monothelismi purgavit. Num autem Concilium aliquod hic celebratum fuerit incertum. Hæc quæ recensuimus Concilia velut extraordinaria habeto: ordinaria pro rebus fidei et disciplinæ Romæ celebrabantur pro rebus autem minoribus et gliscentibus abusibus ex lege Gregorii M. hic quoque habebantur quotannis Synodi ordinarii „ illud quoque fieri debere perspeximus ut semel per annum ad Syracusanam, sive Catanensium Civitatem fraternitas vestra conveniat; quatenus quæ ad utilitatem ipsius provinciæ Ecclesiarum pertinent, sive ad necessitatem pauperum, oppressorum suble-

vandam, sive ad admonitionem omnium, sive correctionem eorum quorum excessus contingerit demonstrari, congrua cum eodem Petro subdiacono sedis nostræ debeatis moderatione disponere „

§. 21.

Patrimonium S. Petri.

Denique jus temporale Rom. Sedis quod recensendum promisimus est Patrimonium divi Petri Exploratum est tres Ecclesias satis amplum in Sicilia possedisse Patrimonium Romanam videlicet, Ravennatem et Mediolanensem. Hæc patrimonia erant possessiones quæ massæ dicebantur, et coalescebant ex agris frumentariis, pascuis, domibus, et colonis tanquam servis Ecclesiæ addictis. Quod Romana Ecclesia possidebat Patrimonium Sancti Petri appellabatur, ejusque massæ sitæ erunt in territoriis Syracusano, Catanensi Milano, et Panormitano ut satis ostendunt epistolæ Gregorii M. ad Rectores suos in Sicilia apud Joannium in Cod. Dipl. Valor totius Patrimonii quod Romana Ecclesia ex Ca-

labria et Sicilia repetebat ad auri talenta tria et dimidium ascendebat ut ex Paulo Diacono constat sed adeo magnum erat quod ex Sicilia retrahebat ut media ætate Petrus Blesensis ep. 146. aliique nonnulli totam Insulam Ecclesiæ Romanæ patrimonium crediderint. Initia hujus patrimonii omnino latent, et quisnam fuerit qui Romanæ Ecclesiæ illud concesserit nescimus. Gaetanus a Constantino repetit et alii ab aliis. Ipse vero potius Hadriani primi sententiam amplectar qui in epist. ad Constantinum et Irenem hæc scripsit „ antiquitus ab Ortodoxis Imperatoribus seu a cæteris christianis fidelibus oblata atque concessa sunt patrimonia Beati Petri „ Attamen initium Gregorio et Pelagio 2. antiquius est et pietas Imperatorum et fidelium sicut dedit, ita et auxit; donec a Leone Isaurico sacrilega temeritate ablatum fuit, et numquam restitutum: denique sub Saracenis amissum ac deletum. De eo potissimum scripsere Gaetanus in Isag. et Joannes de Joan. Diss. ad Calcem Cod. Dipl. Cujus quoque reperi manuscriptam ampliorem dissertationem et de Romano et de aliis duobus patrimoniis.

§. 22.

Patrimonium Ecclesiae Ravennatis.

Ravennas quoque Ecclesia aliud habuit patrimonium in Sicilia, et vetustum documentum editum a Joannio in Cod. Dipl. 28. quamvis mutilum exhibet hujus patrimonii rectorem, fundorum colonos, et præcipuos conductores. Hoc locupletissimum fuisse omnino certum est et quamvis sub Gregorio M. ob rectorum negligentiam ex Dipl. 211. constat imminutum fuisse adeo tamen septimo sæculo auctum legimus ut Jeronimus Rubeus tam ridicule quam absurde crediderit totam Insulam sub titulo patrimonii Ecclesiæ Ravennæ sub ditione fuisse. V. de Angelo ann. Eccl. Sic. p. 120. et Gaetanum Isag. p. 332. Isti auctores originem hujus patrimonii ad S. Ursum referunt alii negant. Ipse opinor Imperatorum largitionibus tribuendæm: ideoque incertum initium, certus omnino finis sub Saracenis.

§. 23.

Ecclesiae Mediolanensis.

Patrimonium Mediolanense satis osten-

dunt tabulæ Episcoporum hujus Ecclesiæ Gregorius M. et Theodoricus Gothorum rex in suis diplomatibus penes Joannem de Joanne dipl. 37. et 79. nescimus autem quamnam amplitudinem habuisse. Gaetanus credidit Julium Firmicum Maternum Siculum ad Episcopatum Mediolanensem promotum huic Ecclesiæ donasse sed hanc rejiciunt eruditi opinionem: primordia igitur ignoramus et scimus tria hæc patrimonia Saracenorum adventu omnino deleta nisi velimus sustinere omnia jam a Leone Isaurico ablata fuisse. Hæc erant jura Romanæ sedis metropolitica et temporalia: hic erat status Ecclesiæ Siculæ usque ad Leonem Isauricum: quasnam autem vices passa fuerit ad secundam ætatem pertinet inquirere. Plurima disciplinæ capita quæ ex munæmentis hujus ætatis collegimus in tractatibus juris expediemus.

Cap. 4.

ÆTAS GRÆCA

§. 1.

Status Italiae

Post medium Sæculum Sextum Longobardi ex eadem Scandia vagina gentium non immerito dicta, ex qua olim et Wandali, et Gothi profecti, in Italiam irruerunt, et post diuturna bella subegerunt, novaque regna ac ducatus constituere, mores novasque leges invexerunt. Hi ab initio barbari, ac hæresi ariana infecti, plures habuere principes sapientia, ac pietate insignes sicut Rotarium, et Luitprandum, qui plura extruxerunt monasteria et Ecclesias, ac largissimis auxere donationibus; sed effrænis multitudo licentia Hereticali diu vexavit Italiam donec eos subfine Sæculi octavi expulerit Carolus Magnus rogatus a Romanis Pontificibus, quibus Græcus Imperator impotens auxilium pernegaverat aut dissimulaverat. Exorto novo Gallorum Imperio, et coronato Romæ a

Leone tertio anno 800. Carolo M. inter ipsum, et Nicephorum Orientis Imperatorem initum fœdus est de Italia, ita ut ea Italiæ parsquæ a Neapoli per mare Tyrrenum et a Siponto per Adriaticum ad Siciliam usque pergit cum ipsa Insula Græcis cederet, reliqua ad Carolum pertineret. Ita tradidit Blondus Flavius decad. 2. l. 1. p. 164., et Cantelius p. 3. Diss. 1. c. 1. §. 5. „ tum anno 803. Carolum inter, et Nicephorum Græcum Imperatorem ita convenit ut regio illa omnis, quæ hinc a Neapoli, inde a Siponto ad littus usque maris Siciliam versus pertinet; cederet Græcis, reliqna Francis„ certum autem est hoc fœdus confirmatum fuisse ab ipso Pontifice nam Eginardus anno 812. apud Duchesne T. 2. p. 257. testatur Legatos Nicephori „ inde reversos Romam in Basilica Sancti Petri eumdem Pacti. et fœderis libellum a Leone Papa denuo suscepisse „ hæc pernotasse nostra interest.

§. 2.

Occidentis Disciplina

Ætatem dequa Scripturi sumus quoad Occidentem mediam dixerunt Eruditi quia jam ab octavo sæculo paulatim a puriori veterum disciplina declinari cæptum, et plurimæ sive pravis moribus sive Barbarorum frequentibus excursionibus, et regum dissidiis; sive Occidentalium ignorantia ob neglectu Patrum et Conciliorum studium, sive alia quacunque causa, invaluerunt novitates, donec eo ventum est ut disciplina Ecclesiæ immutata fuerit. Sic igitur ratio fæudalis inducta Ecclesias et monasteria fæudis et Castellis auxit non quasi majoribus divitiis locupletaverit sedmagis nova præeminentia ac Baronali jurisditione decovaverit. Qua occasione Episcopi et Abbates exjure feudali servitio militari adstricti arma tractarunt, et reges ad castra sequuti sunt et pedetentim monasteriorum, et Abbatum exempiones ab Episcopis prodiere tum in temporalibus cum denique in spiritualibus. Hinc neglecta Episcoporum residentia, solutum vinculum unius præsbiterii Ecclesiis

adscripti, inducti præsbiteri vagi, desueta Synodorum frequentia, et Episcoporum suffraganeorum in Metropolitas reverentia imminuta: unde legatorum Pontificiorum usus in provincialibus Conciliis, et alia quamplurima leguntur in illius ætatis historicis. Attamen non defuerunt viri et Episcopi doctrina et Sanctitate conspicui Rabanus Maurus, Ratramnus, Hincmarus Remensis, Ivo Carnotensis, Petrus Damianus pluresque alii: nec defuere Romani Pontifices lapsam disciplinam revocare quantum fieri poterat, plurimis Romæ et alibi habitis Synodis inquibus varia disciplinæ capita adversus gliscentes abusus constituta presertim in Clericorum contubernia. Chrodogangus in Gallia Clericorum incubuit reformationi, vagosque Clericos Ecclesiis Cathedralibus adscripsit tanquam canonicos quibus Concilium Aquiscranense regulam dedit. Sic et Pipinus et Carolus Magnus Synodos indixere, et capitularia in comitiis generalibus pro regni, Ecclesiarum, et monasteriorum utilitate publicarunt.

§. 3.

Collectiones Canonum mediæ ætatis

Inter plures Canonum Collectiones quæ per hanc ætatem in Occidente exaratæ sunt prima memoratur ab eruditis Adriana collectio, quam Adrianus Papa probavit et Carolo Magno velut codicem Canonum tradidit, sed hæc omnino distinguenda a capitulis Adriani ex putidis Pseudo Isidori mercibus compositis et falso huic Pontifici tributis. Alia est Isidori Mercatoris famosa collectio, cui omnem totius Occidentis disciplinæ immutationem passim tribunnt Espenius, Cavallarus aliique: auctor enim iste Germano i Francus sub mentito Isidori nomine initiis Sæculi noni collectionem evulgavit Canonum quos ex ingenio effinxit, et potissimum Antesiricianas Decretales, vel ex aliis collectionibus collectos interpolavit, et in suam rem traxit eo consilio ut male animatos homines adversus presbiteros ab accusationibus deterreret ut ipse fatetur in præf. „ multi pravitate et cupiditate depressi accusantes Sacerdotes depresserunt ut se per illos excusent, vel eo-

rum bonis ditentur „ hoc opus privata auctoritate editum magnum creditum fuit et per totum Occidentem divulgatum, et non nisi post Lutheranismum detectum et velut erroribus ac falsitatibus refercttum explosum fuit. Insequentes collectiones usque ad Gratianum Isidorum redolent eodemque vitio laborant. Fateor tamen Isidorum post evulgatum Codicem ad nonnullas novitates inducendas multum contulisse sed quoque fatendum quasdam quæ jam ex multis causis invaluerant supposititiis canonibus confirmasse multosque abusus ex ipsa temporum conditione absque ullo ejus concursu jam inolevisse. Hisce expotitis ad nostra proprius accedamus.

§. 4.

Num Disciplinæ novitates in Siciliam immigraverit

Utinam Isidoriana collectio Græcis innotuisset! citius enim immo statim ejus fraudes ac figmenta detecta fuissent cum apud ipsos nono sæculo et litteræ, et scientia canonum floreret. Nulla sane ex cullectionibus hujus ætatis usque ad undecimum sæculum,

nulla novitas et disciplinæ corruptela in Siciliam immigravit. Quoad collectiones canonum certum est quia evulgatæ, cum jam Sicilia occupata fuerit a Saracenis sæculo nono. Quoad juris novitates ne quidem ullum apparet veteris disciplinæ labentis initium. Et quidem 1. ratio feudalis a Longobardis inducta ignota fuit Siculis, qui post Gothos ab Orientali Imperatore gubernabantur: hinc Ecclesiæ et Monasteria nec feudis nec castellis hoc ævo aucta sunt, neque Episcopis aut Abbatibus procerum jura, vel onera accesserunt; frequens adhuc adsiduitas Episcoporum, et nulla Abbatum ab Episcopis exemptio; sed eadem Ecclesiarum, et Monasteriorum vetus constitutio. 2. Episcopi nostri Synodis Romanis usque ad Agatonem et Ecumenicis Orientalibus interfuere, ex quibus nullum argumentum disciplinæ mutationis 3. Ex vita S. Gregorii Agrigentini, S. Leonis Catanensis, et S. Sophronii Tauromenitani, qui martyr occubuit sub ingressu Saracenorum clarissime infertur adhuc vinculum præsbiterii perdurasse, et nullum Clericum nisi

Ecclesiis adscriptum; eamdem ac veterem Episcoporum electionis eamdemque judiciorum formam. Hæc disciplinæ capita alibi revocabimus. Nunc tantum interest pernotare quæ Leontius in causa criminali S. Gregorii Agrigentini affert: aureum quidem est monumentum, et notatu dignum, in quo omnis praxis judicandi, et forum publicum, et tribunal, et sella judicialis memoratur tum in Sicilia tum Romæ, quæ cuncta in serviunt ad hostes refellendos jurisdictionis Ecclesiæ. Nos hic quæ tantum ad rem nostram pertinent referimus: num. 58. edit. Marcelli tribuni respondent Legato Pontificis, qui Gregorium in forum vocaverat judicandum „ tu cum Diaconus sis communis Patris nostri Pontificis maximi non debes in causa viri hujusmodi judicare, neque par est sine Synodo hunc ante te produci, multoque minus de eo sententiam ferri „ num. 59. „ Legatus timere cœpit, et relicto loco ubi sedebat, stetit „ ═ Gregorius Legatum affatur „ tu, homo, si vis, causam ad Pontificem maximum defer „ ═ quoniam te arbitrum causæ meæ

judicemque nemo constituit „ nulla igitur potestas Legati in Episcopum, nulla supra Synodum, nec adhuc seperata jurisdictio ab ordinatione, nec Ecclesia Sicula a Romana „ Sub græcis autem non adhuc abusus irrepserant in Occidente, nec invalescere poterant in Sicilia: aut enim prosequebatur disciplina vetus Romana aut vetus græca sive Synodi Quinisextæ, quæ adhuc perdurat. Sub Saracenis in quorum epocha dicitur lapsa in Occidente disciplina siluit Ecclesia Sicula si autem græcam adoptaverit inferius.

§. 5.

Status Ecclesiæ Leonis Isaurici persecutio

Sicilia a Gothis erepta et a Belisario ad Gæcorum imperium redacta nulla excepta linqua gravem vicem passa est, sed statim ac ad Leonem Isauricum ventum est mutata rerum facie turbulenta prodiere tempora. Ipse enim qui anno 717. consalutatus Romæ fuerat Imperator, quavibus pænis Manichæos, Hæbreosque coercuit pro tuenda religione, seductus tandem ab ipsis Hebræis acre bellum

sacris imaginibus velut priscam idolatriam redolentibus indixit. Tanta novitate commotus Gregorius 2. litteras, hortamentis, precibusque plenas ad eum misit ut a nefando proposito removeret, ac exemplo Costantis Imperatoris ab Episcopis Siculis damnati, ac Syracusæ a quodam Andrea in balneo interfecti deterrere studuit. Sed magis incensus ira in Pontificem novo sed inani facinore ipsi insidias molitus est: qua delusus spe in catholicos desævit templa nudavit imaginibus, earumque propugnatores suppliciis affecit. Perstitit immo crevit tempestas sub Leone Armeno, et sub utrisque Imperatoribus plurimi occubuere martyres. Hæc persecutio alibi exorta in Siciliam quæ jam Græcorum suberat imperio grassata est: neque hic defuere viri virtute præstantes, qui mira constantia Imperatorum edictis obstitere. Præcipue memoratur gloriosa S. Jacobi Catanensis Episcopi confessio fidei catholicæ adversus Iconomachos quæ tale in ipsum concivit odium ut post diuturnos cruciatus martyrium emeruerit. Hæc ex mænologio græ-

co erueris „ Die 21. Martii S. Jacobi commemoratio: hic a puero monasticam exercitationem edoctus ejuniis et vigiliis ac meditationi divinarum scripturarum incumbens Episcopalem dignitatem assecutus est. Cumque haereticorum S S. imagines oppugnantium temporibus multas tentationes et persecutiones perpessus esset, postremo fame et siti afflictus in cruciatibus spiritum Deo tradidit „ sub quonam Imperatore passus sit incertum etsi Gaetanus Isag. c. 36. num. 25. ejus martyrium Leonis Armeni persecutioni tribuat. Verum non solum hic sed et alii innumeri Insulam suo sanguine illustrarunt quorum et martyrii species et augusta nomina ad nos non pervenerunt: quod vero fuerint ex testimonio Theodori Studitae compertum habemus in epistola ad omnes ubique dispersos fratres et eos qui in carceribus et exiliis detinentur in Domino „ gratia vobis et pax ut Apostoli verbis utar a Deo Patre nostro et Domino Jesu Cristo qui est spes nostra, pro quo et propter quem persecutio, tribulatio, angustia, solitudo, exilium, carceres, et

quot quot alia in dies ad cumulum calamitatis incidunt, et occurrunt" De Joanne Cob. Dipl. 279.

§. 6.

Animadversiones in acta Martyrum

Animadvertendum hic tamen est acta martyrum græcorum ætate miseram vicem subiisse. Jam enim a Metaphraste pia fraus cœperat verbositas, ad credendum facilitas et nimia ad mira et portentosa proclivitas. Amissis igitur latinis SS. martyrum actis Scriptores græci ve latinis græca exemplaria substituerunt vel ea quæ supererant in græcum idioma verterunt additamentis mendisque referta quapropter eruditi nequaquam græcis actis quippe quia nuperis et insinceris standum, sed solis latinis deferendum judicarunt. Verum hæc non ita accipienda sunt ut omnibus græcis monumentis hujus ævi fides negetur; sunt enim per multa, quæ amissis latinis velut sincera exemplaria habenda, totaque fide digna ut recte animadvertit Joannes de Joanne de Div. off. c. 4.

§. 6. et Morcellus in notis ad Leontium. Cave tamen ne absque ullo criterio capitula disciplinæ ex primorum Episcoporum, et martyrum actis deducas. Ex biographis hujus ævi plura sed caute haurire poteris, nam verbositas et portenta nihil officiunt disciplinæ veritati.

§. 7.

Capitula hic evolvenda

Hæc Leonis Isaurici persecutio initium fuit omnium novitatum, quas ipse in odium Romani Pontificis in Siciliam invexit. Ut igitur omnia, quæ ad hanc ætatem pertinent argumenta complectar, operæ pretium duxi breviter expendere: 1. num Leo abstulerit Patrimonium Divi Petri: 2. num Ecclesia Sicula avulsa omnino fuerit a Romana, et Patriarchæ Costantinopolitano subjecta, et ita mutatum regimen: 3. num Metropolitæ instituti fuerint: 4. num lingua ritus et disciplina latina defæcerit et Græca fuerit inducta 5. num Schismaticorum errores Siciliam infeceriut, et Scriptores nostros corru-

perint. Hec sane Albertus Piccolus, Pirrus, Cantelius, Gaetanus, et potissimum Joannes de Joanne pertractarunt sed impari judicio ac magna in quibusdam contentione. Sit igitur.

§. 8.

Patrimonium Divi Petri ablatum

Certum est apud omnes furentem Imperatorem Patrimonium Divi Petri satis amplum quod Ecclesia Romana in Sicilia jam diu possidebat, sicut et alia Ecclesiae Mediolanensis, et Ravennatis de quibus scripsisse memini, abstulisse et ærario publico addixisse. Ad hoc probandum haec duo sufficiant 1. testimonium Theophanis in historia relatum a Joanne de Joanne Cod. Dipl. 273. „ patrimonia, quae dicuntur Sanctorum et Coryphaeorum Apostolorum, qui in veteri Roma coluntur, tria nimirum cum medio auri talenta eorum Ecclesiis ab antiquo assignata, et pensa; in publicum aerarium conferri jussit„ alterum testimonium suppeditat ipse Adrianus 1. in responsis ad dubia francorum de ablata lequens Ecclesia „ quam, inquit,

tunc abstulerunt cum patrimoniis nostris quando sacras imagines deposuerunt „ V. Gaetanum Isag. c. 40. num. 4. Romani quippe Pontifices nihil intentatum reliquere ut sibi hæc injuria patrimonia ablata restituerentur, sed irrito conatu: et Saracenorum adventu penitus amissa.

§. 9.

Num Ecclesia Sicula a Romana avulsa opiniones

Num Ecclesia Sicula a Romana divulsa fuerit, vel num omnes Siculi Episcopi ad Patriarcham Constantinopolitanum secesserint, et quonam tempore defecerint quæstio difficillima est. Antonius de Amico ante Synodum 7. œcumenicam anno 787 sustinuit avulsam. Baronius post hanc Synodum an. 854. Albertus Piccolus post Nicolaum 1. an. 860. Roccus Pirrus credidit non omnes Siculas Ecclesias defecisse, sed quasdam et prope Synodum 8. in turbis Photianis sub Saracenorum ætate. Cantelius an omnes defecerint, et quonam tempore obscurum esse fatetur, sed re vera Pirro adhæret: immo in ætatem

Saracenicam rejcit. Gaetanus negat omnino defectionem. Joannes de Joanne a Leone Isaurico vi abstractam sustinet Siciliam, et Ecclesiam juxta Antonium de amico.

Argumenta quæ ad Leonem Isauricum pertinere suadent Ecclesiæ nostræ secessionem, hæc a citatis auctoribus adducuntur. 1. Adrianus 1. epist. ad Car. M. testatur Græcos abstulisse Ecclesiam nostram cum patrimoniis S. Petri quando sacras imagines deposuerunt, et in ep. de Costantinum et Irenem sub quibus celebrata Sinodus 7. postulat ut„ consecrationes Episcoporum, et Archiepiscoporum sicut olitana constat traditio, nostræ diœcesis existentes penitus canonice S.R.E. nostræ restituantur„ 2. acta Synodi Nicænæ 2. ostendunt jam Episcopos Siculos Patriarchæ Constantinopolitano subjectos nam Joannes Tauromenitanus ita subscripsit„ Joannes Sanctissimus Episcopus Tauromenii dixit: cum veluti divinus Ortodoxiæ terminus sint litteræ quæ ab Adriano Papa senioris Romæ ad pios nostros Imperatores nec non ad Tarasium universalem patriarcham nostrum missæ sunt argumenta

ita profiteor suscipiens sacras Jconas„ ita et reliqui Siculi Episcopi 3. Zaccharias Tauromenitanus Episcopus a Sancto Metodio Patriarcha Cno Chirotoniam accepit seu manuum impositionem. Sic et Anastasius Bibliothecarius refert in Concilio 8. œcumenico tantum fuisse receptos vel susplices pœnitentes vel ordinatos a prædecessoribus Photii. Dum igitur leguntur subscripti huic Synodo nostri Episcopi, certum est a Methodio vel ab Ignatio fuisse consacratos 4. Nicolaus 1. in epist. ad Michaelem Imperatorem instanter petiit ut consecratio Syracusano Archiepiscopo a Sede Apostolica impendatur ut traditio ab Apostolis nullatenus vestris temporibus violetur„ Si ergo Pontifex velut Patriarcha petiit consecrationem Archiepiscopi Syracusani, ergo omnes Siciliæ Episcopi a metropolita Syracusæ consecrabantur tanquam suffraganei, et quæstio inter Pontificem et Græcum Patriarcham tantum agitabatur de jure consecrationis hujus Archiepiscopi. 5. Jus denique Cni Patriarchæ in Ecclesiam Siculam et in omnes ejus Episcopos ostendunt

dispositiones et ordines Episcopatuum descripti a Leone Sapiente aliisque Imperatoribus, et a Nilo Doxopatrio a nobis in tabulis allati V. De Amico in Diss. de Urbis Syrac. jure metrop. Joannem de Joanne de div. offic. c. 8. Franciscum Scorsum proœmio 2. §. 7. in Hom. Theoph Ceram : infra.

§. 10.

Refellantur.

Hæc, quæ videntur nonnullis indubia alii refellunt alii velut dubia incerto judicio tenent. Ut autem juvenes facilius quæstionem et statum Siculorum Episcoporum intelligant, tabulam Cronologicam exponam. Leo Isauricus adversus Ecclesiam insurrexit anno 732. Adrianus 1. et Nicæna Synodus 2. memorantur sub an. 787. Saraceni Sicilia potiti sunt post an. 827. exceptis Syracusis et Tauromenio. Metodius Patriarcha Cnus an. 842. post hunc Ignatius 847. Gregorius Asbesta depositus an. 854. consacravit Photium Eunuchum Patriarcham an. 858. Translatus Nicæam an. 878. et mortuus. Epistola

v

Nicolai 1. ad Michaelem Imperatorem an. 865. Concilium Ecumenicum octavum an. 869. Photius consecratus an. 858. depositus an. 868. electus iterum ab Imperatore post mortem Ignatii an. 878. mortuus circa annum 891. Basilius Imperator, sub quo an. 878 captæ a Saracenis Syracusæ regnavit ab an. 867. ad an. 886., in quo electus Leo Sapiens sub quo cecidit Tauromenium regnavit ad annum usque 911. Nilus Doxopatrius an. 1140. Andronicus Palæologus Senior Imperator an. 1283 Andronicus secundus 1332. Hanc tabulam præ oculis habeto.

§. 11.

Quod primas ætatem a Leone Isaurico ad Nicol. 1anum nulla Ecclesiae siculae defectio.

Gravia sunt argumenta quæ urget Pirrus adversus Antonium de Amico T. 1. de Patriarcha Siciliæ et tam firmiter suam sententiam tuetur, ut illam supra expositam vel dubiam reddit vel omnino destruit;,, ex his ego sententiis, inquit Cantelius p. 3. Diss. 5. c. 3. num. 3., nullam aut admitto omni ex parte, aut respuo; habent enim singulæ

unde et probentur multis, et inter se conciliari queant „ Argumenta igitur quae suadent non omnino defecisse Siculam Ecclesiam aut omnes Episcopos clarius intelliguntur, et res ipsa magis explicatur si tres distingnamus aetates. Prima quae progreditur a Leone Isaurico ad Nicolaum 1° sive ab an. 732. ad an. 860. altera ab hoc pontifice usque ad Leonem Sapientem sive ultra annum 886, tertia usque ad Nilum, et Andronicos sive ad an. 1140. et ultra. Ante igitur Nicaenum 2. nullam adhuc factam fuisse defectionem conjicitur 1. ex eo quod haec Synodus initium sumpsit ex Episcopis Siculis qui post lectam Imperatoris epistolam convocationis primi omnium sessiones auspicati sunt act. 2, „ religiosissimi Siciliae Episcopi dicere ceperunt: dignum arbitramur ante omnia, et conveniens huic Sanctae et aecumenicae Synodo etc. „ Unde quaeso primi exorsi Episcopi Siculi si jam a Romana sede secessissent: non equidem Legati Pontificii hoc passi fuissent, nec Patriarcha graecus post habitis majorum sedium orientalium Primatibus, et Patriarchis permi-

sisset nisi ex eo quod vel tanquam legati, vel simul cum Legatis Pontificis adstarent 2. Adrianus 1. epist. ad Const. et Irenem petiit,, ut consecrationes Episcoporum seu Archiepiscoporum etc. Dardaniæ videlicet Thessaliæ Daciæ, aliorumque ut testatur Anastasius; nullam tamen mensionem facit de Episcopis Siculis, nulla ergo adhuc divisio. 3. Nicolaus 1. Ep. ad Michaelem Imper. et Photium tum pseudo Patriarcham anno 860. gravissime queritur,, occupata ab Orientalibus Romanæ Ecclesiæ jura, et provinciis iis spoliatam quas veluti peculiares Rom. Pontifex regere consuevisset,, post hæc enumerat omnes provincias Epirum Illyricum aliasque, nullum autem de Sicilia verbum immo sequitur quærimonia de patrimonio Siculo,, quia etiam patrimonia quæ in Sicilia et quæ in Calabria haberet Ecclesia, sustulissent,, cur igitur Pontifex petit provincias, et patrimonium Siculum, et negligit totam Siciliam et Ecclesiam? hoc sane argumentum Pirri tam magni fecit Cantelius l. cit. ut quæstionem sub judice reliquerit, immo suam exponens opinionem

propius ad Pirri sententiam accesserit. Dein Nicolaus 1. hortatur Imperatorem Constantinum et Irenem „ ne traditio Apostolica consacrandi Archiepiscopum Syracusanum vestris temporibus violetur „ ergo ante hæc tempora non erat violata et prævenit ne occasione depositionis Gregorii Asbestæ in posterum violaretur. Si autem Episcopus Tauromenitanus in Nicena 2. Tarasium universalem Patriarcham nostrum appellat, hanc protulit vocem honoris causa sed captandam ejus gratiam alloquens coram ipso plenariam Synodum nisi velimus eadem ratione explicare qua verba Nicolai 1. epist. 9. Gregorium Asbestam redarguentis „ in Ignatium suum videlicet Patriarcham rediviva impietatis jacula exacuit „ hoc est inquit Cantelius loc. cit. num. 6. ejecto Ignatio quem ipse sibi repudiato Romano, Patriarcham delegerat, Photium ordinare non erubuit „ Sed facilius ex variis hujus Synodi ordinibus subscriptionis Episcoporum quas exscripsi in tabulis quam leve sit hoc argumentum ostenditur; nam primus qui subscribitur in hoc ordine est Theodorus Cata-

næ et vocat Tharasium tantum Patriarcham post duos alios Episcopos subscribitur Joannes Tauromenii; et inter Episcopos orientales et calabros subscribuntur alii Siculi, immo in alia ipsius Joannis subscriptione non reperio vocem nostram ergo aut hæc vox irrepsit in copiam, vel ut adulator dixit, vel subscribens cum omnibus Græcis communem titulum adhibuit. Recole ordines Episcopatuum.

§. 12.

Nullus siculus Metropolita.

Restat ut inquiramus num hac ipsa ætate jura metropolitica exercuerint vel Patriarcha Cnus vel metropolitæ Siculi si extiterint. Nuperrimus auctor Can. Stephanus Dichiara in opere superius citato c. 10. opinionem De Amico sequutus duo susinuit 1. Leonem Isauricum Siciliam ejusque Ecclesiam Trono Cno subjiecisse 2. post Leonem Patriarcham Cnum ordinasse Archiepiscopum Syracusanum, et omnes Siciliæ Escopos et cap. 11. Patriarcham Cnum consecrasse Metropolitam Syracusanum, et hunc

tanquam Metropolitam consecrasse Episcopos reliquos Siciliæ veluti sibi suffraganeos. Omissa prima quam supra explicavimus, propositione secundam ipse probat ex Nicæna 2. in qua Galato dicitur Archiepiscopus: ex Nicolao 1., qui Gregorium Asbestam pariter Archiepiscopum appellat: ex ordinatione nostrorum Episcoporum a Methodio et Ignatio Patriarchis Cnis. Verum, bona pace tanti viri, hæc sibi non constant; si enim Patriarcha Cnus ordinabat Archiepiscopum Siragusanum, et omnes Episcopos Siculos, unde erat metropolita Archiepiscopus Siragusanus absque ullo jure ordinationis? Et si ipse ordinatus ut metropolita a Patriarcha Cno consacrabat reliquos Episcopos Siculos ut sibi suffraganeos, unde ergo in 8. Synodum œcumenicam admissi sunt plures Sicilienses Episcopi ex eo quod, ut ipse testatur a Methodio et Ignatio consecrati fuerint? ergo ante 8. Synodum nullus metropolita in Sicilia attamen argumenta expendamus.

§. 13.

Quid de Stephano Syracusano.

In septima Synodo æcumenica act. 4. „Legitur ⁝ Galatho exiguus præsbiter et ex persona Stephani Archiepiscopi Siciliæ libenter omnia quæ præscripta sunt, suscipiens subscripsi„ Nicolaus 1. petit ut a Pontifice Archiepiscopo Syracusano consecratio impendatur. Sufficiant quæ ad hæc duo respondit Cantelius l. cit. p. 3. Diss. 5. c. 4. num. 6. „ utrique una eaque perfacilis responsio est. Jam tum Syracusanus Episcopus a Græco Patriarcha adeptus erat, ut Archiepiscopus diceretur. Unde nihil mirum, si tum in septima Synodo tum in Nicolai epistola de more apud Græcos tum recepto Archiepiscopus appelletur: quod a Rom. Pontifice ratum non fuisse indicio est Nicolaus ipse, qui epist. 7. c. 11. Gregorium Syracusanum, quem epist. ad Michaelem Archiepiscopum dixerat, sæpe vocat Episcopum. Præterea nec illa Galathonis germana est subscriptio: in vulgata enim septimæ Sinodi editione aliter subscriptum est ⁝ Galathone Archipræsbytero locum tenente Rhe-

gii; Stephano Episcopo Syracusano = haud aliter in secunda, tertia, quartaque actione subscribit Galatho, et in septima in qua Constantinus Rhegii Episcopus aderat, Galato, qui illius vices gerat, nullus est. Unde Galatho non Syracusani, sed Rhegini Episcopi legatus erat, qui sive Archiepiscopus dicatur sive Episcopus nihil ad nos „ Hæc Cantelius ex Pirro hausit v. disquis.2. §. 5. de metr. sed haec Pirri et Cantelii melius clarescunt ex collatione Episcoporum subscriptionum Nicænæ secundæ quas in tabulis exscripsi: Nam una tantum vice subscribitur Galato nomine Archiepiscopi Stephani in Reliquis subscriptionibus dicitur Episcopus. ergo creditur ex errore obvenisse potissimum quia semper subscribitur primus Episcopus Catanae et p t alios Episcopos Siculos invenimus subscsiptum Stephanum. Unde ergo honor metropoliticus? Hisce addam testimonium Nicolai 1. epist. 7. „ Gregorium dudum Syracusanum Episcopum, in Synodo damnatum atque ab Apostolica sede convictum „ a Leone videlicet et Benedicto XIII

Pontificibus. Verum etiamsi dicerentur Archiepiscopi et Stephanus et Gregorius ejusque successor Theodorus parum refert: nam hi tantum erant honorificentiae tituli ut mos erat illius ætatis apud Græcos sed non veræ metropoliticæ dignitatis et jurisdictionis, et ideo inveniuntur in synodo octava ordinati a Methodio et Ignatio Episcopi siculi et non a Metropolita Siculo qui nullus erat.

§. 14.

Quid de Zaccha-riæ et Eutimii ordinatione.

Quænam autem fuerit ratio ab quam Methodius et Ignatius Patriarchæ Cpi consacraverint Zacchariam Tauromenitanum et Euthymium Catanensem obscurum est, ex hoc adversarii inferunt jam fuisse sejunctam Ecclesiam Siculam a Romana, Pirrus aliique negant, ex duorum vel trium ordinatione posse deduci totius Ecclesiæ secessionem: quapropter animadvertendum est 1. Incredibile esse Methodium, et Ignatium Sanctissimos viros usurpare voluisse sacra jura Romanae sedis, cui erant addictissimi, nec un-

quam Pontifices de hac ipsorum usurpatione conquesti sunt cum ipsis. 2 Zaccariam, et Euthymium a Methodio ordinatos fuisse pro alia Ecclesia deinde a Photio absque ullo jure translatos fuisse cum titulo Archiepiscopi ad Tauromenitanam, et Catanensem Ecclesiam.. 3. nil mirum occupata majori ex parte a Saracenis Sicilia quæ jam a Carolo Magno ad Imperatorem Cnum pertinebat jure exraordinario, pro temporum angustiis a Concilio Chalcedonen si concesso Patriarchas potuisse credere sibilicitum ibi degentes ob Saracenorum irruptionem hos Episcopos ordinare. 4. Nullus Pontifex nec ipse Nicolaus conquestus est de hac violatione jurium Romanae sedis et tamen testatur ex apostolica traditione ordinationem nostrorum episcoporum ad se ertinere; immo sub idem tempus Joannes octavus acriter scripsit ad Ignatium Patriarcham, quod Bulgariam occupasset et Episcopos ordinasset, et ut revocaret jussit et obtinuit. Igitur Methodius et Ignatius ex non culpabilierrore potuerunt sibi persuadere ad se spectasse horum ordinatio-

nem vel alia juxta causa fuit ut ordinarent cæterum si jam ab ætate Methodii episcopi siculi ordinabantur a Patriarcha græco cur de his tantum dicitur et non de aliis nec de ipso Asbesta? Aut ipsi igitur non ordinati pro Ecclesia Sicula aut aliqua fuerit canonica ratio ob quam nec Pontifices quæsti sunt.

§. 15.

Quid de Gregorii Asbestæ depositione

Si Episcoporum ordinationi adjicies judicium Ignatii, qui coacta synodo Gregorium Syracusanum facinorosum hominem deposuit: Pirrus loc. cil. §. 7. et Gaetanus Isag. c, 38. num 5. respondent id fæcisse 1. ex habita licentia Rom. Pontificis qui judicii adprobationem sibi reservavit et idcirco Benedictus Papa expensis actis ad se missis synodalibus et audito Gregorio et reo convicto sententiam confirmavit anno 854 inquit Allatius l. 2. c. 4. nam 3. ab Ignatio Patriarcha coactum est Concilium Constantinopoli contra Gregorium episcopum Syracusanum in quo et depositus est ita tamen ut

assensus R. Pontificis requireretur„ et Auctor de separatione Romæ veteris ab Ecclesia græca penes Allatium n. 5.„ Photius ordinatus a metropolita Syracusano qui antea depositus erat a Papa „ 2. jure quodam extraordinario quia Gregorius ob Saracenorum irruptionem diutius constantinopoli degerat et Patriarcham græcum suum fecerat , ut ait Nicolaus 1: suo proprio schismate : potuit igitur Ignatius in Synodo deponere Gregorium ob perdirissimos mores, ob pericula gregis, ab diuturnam ipsius constantinopoli moram , ob similia antiquitatis exempla et inde referre ad Rom. Pontificem : difficillimum enim erat ob gratiam Imperatoris Pontificibus Romam invitum Gregorium in judicium arcessere . 3 denique ex ordinatione Zaccha-riæ et Euthimii et ex depositione Gregorii Asbestæ inferri non potest totam Ecclesiam Siculam , omnesque Episcopos defecisse; scimus enim quatuor tantum fuisse photianos Syracusanum , Tauromenitanum Catanensem et Messanensem , ex quibus postremos duos pœnitentes in octava Synodo reconciliatos

esse. Quid igitur verosimilius credendum ostendam.

§. 16.

Quid dicendum de omnibus Metropolitis et Archiepiscopis Siculis

Ut autem cognoscamus num a Nicolao I. ad Leonem usque Sapientem Sicula Ecclesia, et omnes Episcopi secesserint ad Patriarcham Cpnum, et Archiepiscopi, aut veri Metropolitæ obtinuerint rem altius repetamus oportet, et potius Pirri et Cantelii opinionem amplectamur. Siciliam quæ ad occidentale imperium pertinuerat Belisarius a Gothis eripuit, et Imperio orientali adjunxit, et Gubernatorem græcum græcosque magistratus prefecit: hinc frequens commercium Siculorum et Græcorum commigrantium. hinc initium græcismi, et prima semina Patriarcharum ambitionis. Postmodum Leo Isauricus, qui ob odium in Romanam Ecclesiam Patrimonium Divi Petri sibi attribuit, forsitan conatus est et Ecclesiam Siculam et Episcopos quoque divellere: sed firmissime teneo Ecclesiam quæ obtulit martyres et Episcopos qui hæresi sævienti restiterunt

nec schismati adhæsisse. Subcriptio Galatonis arbitratu meo, nil valet variat enim in sessionibus Nicœnæ secundæ et in textu græco Stephanus dicitur Episcopus, quod si omnino velis Archiepiscopum, hunc habeas titulum tantum honoris, et personalem ob legationem quam sustinuit Imperatoris ad Adrianum, successores enim Episcopi fuere, et tanquam episcopus Gregorius Asbesta depositus, et sæpe Episcopus a Nicolao 1. vocatus. Saracenis Siciliam invadentibus Episcopi alii alið fugerunt plerique Constantinolim ubi diu degerunt pauperes et exules expostulantes in saracenos expeditionem ideoque Imperatoribus et Patriarchis blandiebantur, a quibus solum et vitæ subsidia, et reditum ad suas Ecclesias, et ipsarum poterant incrementa sperare; jam enim sicilia ab anno 800 ob pacta conventa inter Carolum M. et Imperatorem Orientalem pertinuerat ad græcum imperium. Post igitur siciliae subjectionem, post saracenos legimus ordinationem Zacchariæ et Euthimii et exinde in Epistolis Nicolai 1, anno 860 invenimus Gregorium Asbestam

nunc vocatum Archiepíscopum nunc Episcopum non autem metropolitam cum jam depositus fuerat ab Ignatio et a Pontificibus anno 854. et jam schismaticus consecraverat photium anno 858. ergo Gregorius titulum Archiepiscopi obtinuit a Photio intruso ob meritum suæ consecrationis ab anno 858. ad an. 860. aut ad an. 868. in quo Photius Depositus fuit. Sicut etiam Zaccharias Tauramenii acerrimus Photii sectator fuit et legationem pro eo ad Nicolam 1. suscepit, parem titulum Archiepiscopi abtinuit, eumdem honorem probabiliter Phothius Pseudopatriarcha aliis suis sectariis Largiri potuit. Immo non dubito quin tum ob facilitatem Græcorum in concedendis titulis honoris tum ab schismatis confusionem quilibet episcopus decorem potuisset Archiepiscopalem adipisci sed quæstio hic est de dignitate et jure metropolitico Gregorii Syracusani, qui nunquam usque adhuc Metropolita dictus, et si dictus de quo non convenit inter eruditos, titulus erat non enim habbebat Ecclesias in quibus potuerit hoc jus exercere: in tota enim Sicilia

excepta Syracusa, et Tauromenio dominabantur Saraceni. Ita et ejus successor Theodorus Archiepiscopus non metropolita a Nicolao 1. adpellatur, ita et Sofronius, qui martyr occubuit ultimus Syracusarum Archiepiscopus dictus anno 878. a Theodosio monaco in epist. de Excidio Syrac.

Deposito Zaccaria honor Archiepiscopalis a Photio concesso evanuit; nam Procopius, qui Thauromenitanam Ecclesiam regebat cum Saraceni Tauromenium expugnarunt, Episcopus appellatur a Joanne Diacono, qui ejusdem martyrii historiam tradit. De Messanensi Archiepiscopatu nullum argumentum, imo in octava Synodo invenitur Gregorius Episcopus Messinæ. Cæterum in Græcis Episcopatuum dispositionibus Leonis, Nili et Andronici Tauromenitanus, et Messanensis ut Episcopi indicantur. Quoad Catanensem legitur in septima Synodo Theodorus Episcopus Cathanæ, si autem Photius salutaverit eum metropolitam parum refert quia titulus honoris erat, sicut et cæteri. Concludendum igitur 1. hujusmodi titulos a Photio cæpisse,

et precarios fuisse, quippe quia a schismatico et deposito a concilio œcumenico Schismaticis indultos 2. nullum fuisse veri nominis metropolitam, et jus exercentem 3. Ecclesiam Siculam non defecisse usque ad Leonem Sapientem non enim schisma quatuor Episcoporum, quorum duo ad matrem redierunt in 8. Synodo, dici potest defectio totius Ecclesiæ.

§. 17.

Secunda usque ad Leonem sapientem ætas

Tandem ventum ad Leonem Sapientem anno 886. Imperatorem salutatum cum jam mortuo Ignatio iterum sed perperam ad Patriarchatum Cuum revocatus esset Photius, et jam omnis Sicilia gemeret sub Saracenorum tirannide. Ab hoc Imperatore et Photio cogitatum fuit civili politiæ ecclesiasticam conformare; sicut enim constituta fuerat totius Imperii divisio, ac ipsorum Imperialis palatii officialium distributio, quam Curopalata tradidit de offic.Pal.Imp.penes script.Bizant.T.16. eamdem ordinarunt Patriarchatus, et subditrarum Ecclesiarum descriptionem, ut magis

amplitudinem dignitatis, et ambitum Throni Cui supra ipsum Romanum ostenderent. Hac occasione Photius injuriarum memor et ultor Ecclesiam Siculam a Romana sejunxit sibique subjecit: sub Leone igitur Sapiente, et Photio Patriarcha publicata fuit Eccleriarum throno Cno subditarum descriptio. Hæc sane quinque thronos Patriarchales exhibet Romanum sive veteris Romæ, Cnum sive Novæ Romæ Alexandrinum, Antiochenum, et Jerosolimitanum. Omnis autem Patriarchatus ex pluribus provinciis unitis coalescebat, et juxta veteres, Diœcesis appellabatur: singulis Provinciis præficiebantur Metropolitæ, quorum alii et dignitate et jurisdictione præstabant quia parœcias sive Episcopatus et Episcopos suffraganeos habebant, alii tantum nomen et dignitatem metropolitæ obtinebant quibus nullus suberat Episcopatus; imo eo processit græcus fastus, ut inter ipsos Episcopos, quosdam Archiepiscopos nominarint, qui medii inter Episcopos et Metropolitas tituli tantum beneficio permulterentur. Hisce expositis animadvertendum est 1. separationem Ecclesiæ Sicu-

læ a secundo Photii Patriarchatu cæpisse, et Leonis Sapientis auttoritate firmatum; nam nullum verbum ante mortem Ignatii, et in 8. Synodo: imo in ipsis Ecclesiarum Ordinibus a Leone dispositis legitur " nuc avulsi sunt " nunc Trono Cno subjecti " ex quibus verbis satis conjicitur aut Photium post annum 878, aut Leonem sibi subjecisse 2. hasce Ecclesias Siculas in ordinibus descriptas aut a Saracenis occupatas aut destructas penitus, aut fictas omnino esse, earumque Episcopos, quos Patriarcha eligebat ad ostendendam auctoritatem titulares fuisse tanquam Episcopos in partibus infidelium. 3. In hisce dispositionibus unum Legi Metropolitam Syracusanum cujus omnes alios Episcopos suffraganeos, Catanensem Metropolitam honoris, cui nullus subjicitur thronus, nullum amplius Archiepiscopum: quod si in dispositione Leonis, quam retulit Joannes de Joanne ex Miræo inveniatur inter Archiepiscopatus 17. loco Messanensis Ecclesia, nihil inferendum nam in ordinibus quos edidit P Goar et nos retulimus semel tantum reperitur 17 loco Me-

sene quæ non est sicula, nec inter Siculas posita; nostsa autem ibi ponitur inter suffraganeas Syracusani Metropolitæ.

§. 18.

Quid de Leone Thaumaturgo.

Denique ut claudam hanc ætatem si quis inquirat cur hic nullam fecerim mensionem S. Leonis Thaumaturgi, in cujus vita leguntur hæc verba = in Syracusarum Metropoli facile respondeam 1. Ætatem hujus Episcopi penitus incertam esse quamvis inveniantur alia verba = Imperatores nostri Leo et Constantinus = nam ipse Gaetanus T. 2. in notis ad vitam ejusdem num. 12. p. 7. quærit quinam fuerint Imperatores isti num Leo Isauricus, num Leo Porphyrogenitus an. 776, num Leo Sapiens an. 886. unaquæque opinio suam patitur difficultatem, et quidem non vixit certe sub Leone Sapiente quia Joseph Hymnographus, qui memoriam ejus celebravit antea vixit, seu circa tempora Nicenæ secundæ. Non sub Leone Isaurico, ut ex conjectura sustinet Hymnograhus, nam sub

ipso martyr occubuit Jacobus Episcopus Catanensis, et quidem magnam partem habuisset Leo indefensione fidei contra Iconoclastes si tunc vixisset, sed nulla mensio in ejus vita. Leo Isauricus ejusque Filius Constantinus ambo persecutores Ecclesiæ regnarunt áb anno 717. ad an. 775. hujus Constantini Filius, Leonis Isaurici nepos fuit alter Leo qui regnavit ab anno 775. ad an. 780. et Filium quoque habuit ex uxore Irene Constantinum sub quo celebrata Synodus Nicæna secunda sub isto Leone ejusque filio Constantino Bollandus et Joannes de Joanne Cod. Dipl. vixisse credunt Leonem Thaumaturgum. Sed non intelligo quomodo Hymnographus qui circa idem tempus vixit, illius ætatem nesciverit ut conjiciendo Episcopum Catanensem ad Leonem Isauricum retraxerit. Attamen certum est ante Nicenum 2. vixisse. Quid igitur de Metropoleos titulo Syracusæ dato? Biographus magnam civitatem Metropolim græca emphasi appellavit; jam enim satis de Metropolitis hujus ætatis diximus.

§. 19.

Ut autem tertiam ætatem absolvamus, quæ a Leone Sapiente progreditur usque ad Doxopatrium et Andronicos Imperatores quædam adnotanda supersunt de Metropolita Panhormiensi, de Theophane Cerameo Archiepiscopo Tauromenii, de Nilo Doxopatrio. Saracenis in Siciliam irruentibus Episcopus Panhormitanus vel hic remansit, vel alio et non Constantinopolim cum aliis fugiit. Hinc nulla hujus Metropoliticæ dignitatis mentio, nec in Conciliis, nec in Græcis dispositionibus legitur, ex quo credit Pirrus, Episcopum Panormitanum nunquam ab Ecclesia Romana defecisse. Verum prope finem Saracinici Imperii, anno videlicet 1048. Panhormi Metropolitam invenio in Capitulis Confraternitatis Sanctæ Mariæ Neupactitessæ penes Joannium Dip. 248 = Memoriam faciemus nos Ortodoxorum nostrorum Regum, Sanctissimi Patriarchæ, Sacratissimi Metropolitani nostri „ quinam fuerit iste Metropolita nescimus, sed ex hisce constat græcum fuis-

Tertia ætas usque ad Nortmannos. Quid de metropolita panhormitano Nicodemus.

se, et Patriarchæ subditum, non est autem æque certum, Patriarcham Cnum Ecclesiam Panhormitanam constituisse Metropoliticam quia a Saracenis Panhormus erecta fuerat in Metropolim, aut potius Episcopos nostros emphasi quadam græca sibi ipsis tribuisse hoc nomen quia Episcopi Metropolis erant. Ratio dubitandi oritur ex eo quod Nilus Doxopatrius et Andronici in suis Episcoporum ordinibus hunc Metropolitam neglexerint et inter Episcopos nominarint: quamvis fatendum Pontifices insequenti sæculo hanc sedem Metropoliticam dixisse. Narrat quoque Malaterra num. 45. penes Carusum Bibl. Sic. T. 1. Normannos Panhormum ingressos alium Archiepiscopum græcum Nicodemum nomine invenisse „ Archiepiscopum, qui ab impiis dejectus in paupere Ecclesia Sancti Ciriaci, quamvis timidus natione græcus cultum Cristianæ Religionis pro posse exequebatur revocantes restituunt „ Nicodemus igitur Archiepiscopus dicitur non metropolita sed utrumque nomen honoris tantum erat nullas enim sibi subditas habuit Ecclesias.

§. 20.

Eo circiter tempore incidit mentio Theophanis Ceramei Tauromenii Archiepiscopi, cujus eloquentissimas homilias in Dominicas et festa anni græco-latinas Parisiis anno 1644 edidit Franciscus Scorsus adnotationibus illustratas. Non me latet magna eruditorum contentio quoad hujus præstantissimi Antistitis ætatem. Scorsus eumdem credit ac Gregorium Cerameum, et ad anno 870. ad an. 902 sub Basilio, et Leone Sapiente post etiam captum a Saracenis Tauromenium vixisse. Ab eo recessit Leo Allatius, ejusque levia confutavit argumenta ac Theophanis aetatem consignavit sub Rogerio Rege anno 1040: alii Allatii opinionem amplectuntur: sed annum corrigunt, Rogerius enim rex vixit in sequenti sæculo. Joannes de Joanne de div. off. c. 10. §. 2. non signat annum sed loquens de Nicodemo et Theophane hæc habet „ ambo sub Saracenorum tirannide crudeliter ejecti; ambo sub Normannorum principatu piissime restituti: " nisi malis ad- Theophanes Cerameus

hærere Francisco Scorso „ litem igitur sub judice reliquit. Ipse vero exploratum habeo non nono sed undecimo sæculo vixisse 1. quia Theophanes passim Metaphrastem sycronum Photio et Leoni velut se antiquiorem laudat 2. quia Procopius Episcopus Tauromenii in excidio a Saracenis illato occubuit martyr 3. quia in inscriptione homiliæ in Dominica Palmarum legitur „ dicta est præsente Rege Rogerio 4. Episcopus Tauromenitanus non vocatur a Leone Sapiente Archiepiscopus. Indubium quoque est non vixisse sub Rogerio Rege, sive sæculo duodecimo: jam enim ab anno 1082. Tauromenium non amplius sedes Episcopalis immo a Rogerio Comite Episcopatui Troinensi adjectum, Pirrus not. Ec. Tr. Certum insuper est, Nortmannos Siciliam expugnasse circa annum 1060, Tauromenium cæpisse anno 10:8. ex Malaterra: ergo concludendum Theophanem aut regnasse Tauromenii ab anno 1078, quo capta civitas ad an. 1082. quo suppressus Episcopatus, aut potius, ut probabilius mihi videtur, sicut Nicodemum Panhormi sic Theophanem

Tauromenii delituisse et adventu Normannorum suæ Ecclesiæ restitutum a Rogerio Comite, quem græca emphasi et oratorum more Regem ut Imperatorem salutavit. V. Joannium loc. cit. Titulus autem Archiepiscopi, si etiam dabatur a Patriarchis, honoris tantum erat, nec in matricolis Ecclesiæ Cnæ ita notatus: nam nec a Doxopatrio, nec ab Andronicis inter Archiepiscopatus Tauromenitanus numeratur: sicut et Panormiensis.

§. 21.

Nilus et Andronici.

Restat denique ut notitias Episcopatuum a Nilo Doxopatrio et Andronicis Imperatoribus recenseamus. Fertur igitur quemdam Nilum Doxopatrium rogatum a Rogerio Rege libellum scripsisse de quinque thronis Patriarchalibus immo bis edidisse Episcopatuum notitiam Siciliensium, quam in tabulis retulimus. Hunc libellum invenies græco ı latinum penes Allatium de Cons. Ec. Or. et Occ. l. 1. c. 24. §. 1. a quo excerpsimus hæc, quæ ad rem nostram faciunt „ Sicilia autem_uni-

versa unum Metropolitam habebat Syracusanum, reliquæ vero Siciliæ Ecclesiæ Syracusani erant Episcopatus etiam ipse Panormus, et Terma, et Cephaludium; et reliquæ.... Sed et Catane ipsa antiquitus cum esset Episcopatus propter S. Leonem ejusdem Episcopum ab Imperatoribus ad Archiepiscopatum evecta est: quapropter nullum ipsa sub se Episcopatum habet, licet eadem in tacticis inter Sedes Constantinopolitano subjecta adnumeretur .... nihilominus Pontifex viles quasdam partes, et Episcopatus nonnullos in Sicilia, et Calabria habere deprehenditur .... Papam vero partes aliquas antea in Sicilia obtinuisse manifestum fit ex vita S. Gregorii Agrigentinorum urbis, quæ nunc Gergentium dicitur, Episcopi: in ea siquidem scriptum est: Papam S. Gregorium Agrigentinorum Episcopum ordinasse, sed eo tempore Roma nondum penitus separata erat a Constantinopoli: tenebat itaque multos ab hinc annos Constantinopolis ex parte et Siciliam et Calabriam et Papa paucula quædam quemadmodum et in Longobardia usque ad separa-

tionem: tunc enim separatus est ab his regionibus Papa usque ad Francorum adventum ut jam diximus „

Miror sane cur Scriptores tantam fidem adhibeant Græculo huic tam Romanæ Ecclesiæ infenso: nam non levia sunt suppositionis indicia, nec ea quæ refert fidem merentur: et 1. quidem non video cur notitiam Episcopatuum ab eo postulaverit Rogerius Rex cum jam diu Ecclesia Sicula ad matrem redierat, et non Rogerius Comes cum adhuc essent Episcopi Græci Nicodemus et Theophanes et Clerus 2 non intelligo quomodo conciliari possit annus 1040. quem præsefert ordo Episcoporum editus a Joanne de Joanne in Codice cum ætate Rogerii vel etiam Comitis cum Nortmanni non adhuc in Siciliam advenerint, et quomodo libellus scriptus fuerit ad Nortmannorum petitionem si in fine libelli dicitur „ explicuit hoc opus anno 10 1 „ cum usque ad annum 1060 hic adhuc essent Saraceni. Si autem ad res quas ipse scripsit, attendamus videtur more græcorum duodecimi sæculi potissimum Balsamonis, su-

stinere Siciliam semper paruisse Græcis, et ab ipsis Pontifices abstulisse quod quam falsum sit ostendere otiosi hominis est. Manifeste tamen ex verbis ipsis eruimus duas defectiones Ecclesiæ Siculæ: primam ante Gregorium 2. Agrigentinum alteram post francorum adventum sed hæc impudentissime scripsit: nam etiam si Gregorius non sub Gregorio Magno, sed sub Agatone vixerit: et vel quintæ vel sextæ Synodo interfuerit, semper certissimum est, tunc Ecclesiam Siculam Romæ suburbicariam fuisse adventu autem francorum ob pacta conventa cum Græcis Sicilia adjecta fuit Imperio Constantinopolitano, non Ecclesia Sicula Patriarchæ, ut hac tenus demonstravimus. Crederem igitur auctorem istum quicunque fuerit post Nortmannos et reditum Ecclesiæ Siculæ ad Romanam Ecclesiam, scripsisse ariolando libellum de quinque Thronis Patriarcalibus et exemplar dispositionis Leonis Sapientis edidisse ut prætensa jura Ecclesiæ Byzantinæ vindicaret et virus acerbitatis suæ in Romanam Ecclesiam evomeret. Eodem animo E-

cteses et Ordines Episcopatuum Siciliæ ediderunt Imperatores Andronicus senior, et Junior eodemque odio inflammatus in Latinos scribebat circa ipsam ætatem Balsamon. Sed sane ridiculum est græcos adhuc veteres usurpationes, ut dicunt ita defendere cum jamdiu in Sicilia nova Ecclesia, novique Episcopatus refloruerint, novum regnum, et regimen, et disciplina, et jura alia fuerunt instituta.

§. 22.

His expositis juvenum utilitati consulentes breviter attingamus oportet propositum quæsitum num hoc ævo linqua, ritusque latinus defecerit, et græcus invaluerit, quod erudite pertractarunt Gaetanus in Jsagog. et potissimum Joannius de div. off. c. 4. usque ad 10. Erepta a Gothis Sicilia, et a Belisario grecorum Imperio adjecta, et invectis græcis magistratibus et præfectis, frequentior evasit græcorum in Siciliam, et Siculorum Constantinopolim commigratio: hinc facilis usus linquæ græce et jam à Gregorio M. gens

Num græca linqua et ritus.

Sicula græcissare cæperat, ut mulier quædam femineo fastu etiam græce ad ipsum Pontificem scripserit cui ille non respondit quia egre tulit timens ne forte Siculi græcanitatem inveherent in sacra: dein adeo invaluit per octavum sæculum, ut omnino desueverit latina linqua, et græcismus communis usque ad Nortmannos obtinuerit. Sed quamvis post Justinianum immutari cæpit linqua, non tamen et Græegorius Magnus, ejusque successores passi sunt sacra græcè peragi: ideoque ritus, Psalmodia, lyturgia latina permansit. Stephanus Episcopus Siracusanus dicitur primus, qui ritum latinum in Græcum mutaverit. Sed quamnam fidem mereatur Codex membranaceus Ecclesiæ Siracusanæ omitto inquirere. Ipse crederem nunc in unam nunc in aliam Ecclesiam paulatim inductum fuisse, donec facta divisione inter Carolum M. et Palæologum Imperatorem, Psalmodia, lyturgia, ritus græcus obtinuere. Sed animadvertendum est cum Joanne de Joanne l. 9. sacra Siculorum officia quamvis græca non juxta ordinem Cuum composita fuisse sed formam Ec-

clesiæ nostræ propriam retinuisse et græco-Sicula dicenda.

§ 23.

Num etiam græca disciplina

Si disciplinam quoque græco-Siculam dixerimus, remanet semper difficultas inquirendi, quinam fuerint articuli vel disciplinæ, vel praxis Ecclesiæ Cnæ in Siciliam invecti: percurramus igitur periodos hujus ætatis. Incipiendo igitur a Gregorio confirmatam legimus veterem Romanam disciplinam in Sicilia, excepta quadam praxi peculiari ac propria cujuscumque Ecclesiæ. Sub successoribus Pontificibus, et synodis habitis ab Agatone et Martino 1. quibus Episcopi Siculi interfuere suffraganei certum videtur non potuisse mutari disciplinam pertotum 7. sæculum Quæstio igitur est num post Leonem Isauricum cum græco ritu, græca quoque omnis disciplina invaluerit. Joannius in diss. ad calcem cod. de Bapt. num. 8. et de div. off. sub nomine ritus complectens omnem disciplinam sustinet post Isauricum regimen, ritum linguam, et

disciplinam mutatam fuisse ; sed nullum affert quoad hanc ætatem argumentum nisi conjecturam ex secessione Ecclesiæ Siculæ, quam ipse sustinet et ex vetito fermentato, et baptismatis collatione in Epiphania sub Nortmannis, sed si datur locus conjecturis dicerem sueta in tantum virum reverentia ex hisce non evidenter inferri disciplinam octavi et noni sæculi nam hæc respiciunt postremam Saracenorum ætatem cum jam firmatum erat schisma post Michaelem Cerularium ; et jam orientales exacrabantur azymum, et Romani prohibebant fermentatum Latinis præsbiteris: hinc merito Nortmanni ex timore schismaticorum erroris, quia Pontificibus erant addicti, illam praxin vetuerunt. Sed nos loquimur de 8 et 9 sæculo, in quibus mutatio discipliuæ siculæ non solum probari nequit, sed probabiliter, saltem quoad majorem partem Æcclesiarum, eadem perduravit: probari non potest 1. quia nullum adest positivum argumentum 2. quia non adhuc per id temporis magnum erat discrimen

utriusque Ecclesiæ disciplinæ; communis enim erat latinis Græcisque trina immersio in batismate, communis impositio manuum, nec adhuc apud latinos inducta forma signo te signo crucis in chrismate, nec porrectio instrumentorum in ordinibus, par forma præsbiterii eadem bonorum distributio, nec adhuc præsbiteri vagi, nec beneficia orta; nec potestas jurisdictionis ab ordine distincta, et alia hujusmodi quæ satis ostendunt mutationem disciplinæ probari non posse, quia parum discriminis in utraque Ecclesia. Quod si urgeas usum fermentati et praxin baptismatis in vigilia Epiphaniæ; scias velim neque ex his probari posse mutationem; nam hoc ævo quamvis apud græcos fuerit usus fermentati frequentior, et azymi apud latinos, non tamen adhuc erat prohibitio in utraque Ecclesia vel azymi, vel fermenti, quæ est sanior opinio inter tot Eruditorum sententias, quoad eorum veterem usum in utraque Ecclesia. Igitur si adhibuerint siculi fermentum nescimus, quia desunt monumenta:

et si adhibuerint non est indicium mutatæ disciplinæ. Imo ipse Photius, qui non omisit levissima quædam latinis objicere nullam unquam fecit de azymis mentionem „ quia omnino, inquit Card. Bona l. 1. de rebus liturg. c. 23. indifferens credidit azymo aut fermentato uti cum uterque sit panis „ Nec aliquid inferendum ex baptismate in Epiphaniæ pervigilio: nam iste ritus est, et si viguerint hoeævo ignoratur; imo Ecllesia Sicula non adoptavit ritum omnino Cnum, sed græco Siculum sibi efformavit.

Illud præ cæteris latinæ in græcam disciplinæ mutationem probaret si clericorum cælibatum, cui erant siculi adstricti, abrogaverint et praxin matrimonii Orientalium amplexati fuerint. Sed tantæ mutationis nulla mentio occurrit neque inscriptoribus nostris hujus temporis, nec in Nicæna sæcunda, nec in 8. Synodo, nec in epistolis Adriani 1. et Nicolai 1. nec denique in causa Gregorii Asbestæ, et Zaccariæ depositionis: et certe quidem et Episcopi Sanctissimi qui

depositis suffecti fuere a Concilio cum placitu Pontificis, et omnes alii qui Photio non adhæserunt a vetustis moribus non recesserant Novitates igitur si quæ fuerint in ultimam Saracenorum epocham rejiciendæ sunt.

§ 24

Sic quoque evanescit vana formido et omnis sollicitudo nostrorum scriptorum inquirendi; num occasione schismatis photiani Græcorum errores in Ecclesiam nostram irrepserint. Nam 1. Photius prima tantum jecit fundamenta illius schismatis, quod sub Cerulario recruduit ac pene firmatum est, et absonum est asserere, Orientales qui in Synodo 8 Cna 4 Photium deposuerant erroribus infectos. 2 Photius non omnem ad se traxit siculam Ecclesiam, nec omnes Episcopos, sed quatuor tantum, quorum duo pænitentes a Synodo absoluti fuere, et ipsi Romanæ Ecclesiæ reconciliati: nec Gregorius Asbesta ab Ignatio, et a Romanis pontificibus, nec Num Græcorum errores

ipse, et Zaccharias Tauromenitanus depositi a concilio quia hæretici, sed quia pertinaciter schismatico Photio adhærebant. 3 schismaticorum errores, quos primum Allatius Diss. de rebus Ecc. Græc. ex Triodio collegit, dein CombefisBibl. PP. concion T. 1 verbo Gregorius Cerameus, postmodum Franciscus Scorsus proœm. § 81 in hom. Teophanis Cerameі, postremo Joannes de Joanne de div. off. c 11 non equidem pestinent ad hanc Etatem, neque quoad Siciliam, neque quoad ipsam Ecclesiam græcam: non quoad nos, quia nostri Episcopi fidem avitam in 8 Synodo professi sunt, et post Synodum sub Saracenis sanguine obsignarunt, sub obbedientia Rom. Pontificis: non quoad Orientales, quia catholici cum catholicis Latinis Ecumenicam Synodum sive 4 Cnam celebrarunt adversus schismaticos et hæreticos et post hanc Synodum initia fuere schismatis, et pauci errores photiani. Photius enim Patriarchatui universali inhians Rom. pontificem et latinam Ecclesiam conatus est

diffamare 1 quia Symbolo particulam filioque addiderat 2 quia ejunat in sabbathis 3 quia lacticinia permittit in quadragesima 4 quia cælibatum colit: verum post Photium schisma et errores usque ad Cerularium evanuere. Niceta apud Baronium ad hunc annum Sub Cerulario post 10. Sæculum non omnes recensiti errores ex Triodio irrepserunt sed paulatim invaluere in sequentibus sæculis usque ad Gregorium Palamam et Triodio adjecti Quid igitur hic quæritur in Sicilia de erroribus, qui post sæcula Orientales infecerunt?

APPENDIX

Ætas Saracenica

§ 25

Horrendo in Siciliam Saracenorum incursu Ecclesiæ, monasteria, pluresque civitates eversæ ac succensæ. Episcopi, quas

Status Ecclesiæ Siculæ sub Saracenis

fuga non servaverat, aut ferro trucidati, aut ærumnis confecti oppetiere, et Ecclesia Sicula, que ab exordio religionis florentissima semper fuerat miserrima servitute oppressa ita siluit, ut creditum a nonnullis religionem per id temporis in Sicilia extinctam; cruenta siquidem Saracenorum irruptio omnibus rebus minabatur excidium et furentis multitudinis sævities ingentem martyrum numerum cujuscumque ordinis et sexus Ecclesiæ peperit; inter quos præcipua laude memorantur Sofronius Archiepiscopus Syracusanus et Procopius Tauromenii Episcopus V. Diss. 9 Joannii ad Calcem Cod. Dipl:

§ 26

Stetit Religio

In hoc Insulæ miserandæ statu qui per tria pæne sæcula perduravit, num actum sit de Sicula Ecclesia inquirendum. Sed ex paucis monumentis, quæ ex tanto naufragio supersunt, et ex illis; quæ sub Nortmannorum initiis leguntur, compertum habemus

non penitus religionem exulasse; immo adhuc post magnum excidium quædam superfuisse ornatissimæ Ecclesiæ vestigia. Et quamvis sub initio barbarorum incursus omnis cultus divinus, ut assolet, in summis rerum angustiis, interruptus, ac penitus profligatus visus fuerit; attamen semper stetit religio et si timida, et occulta usque dum anno 1027 Meleuta Saracenorum Rex liberum Religionis exercitium indulsit. Quod autem, et patriam fidem extitisset per omnem hanc ætatem, et quoddam Regiminis Ecclesiastici, ac disciplinæ specimen, prout tempora ferebant clarissima suadent argumenta.

§. 27

Successio Episcopalis,

Primo successio quædam Episcopalis, quæ toti Siciliæ non defuit, et si in aliquibus Ecclesiis defæcerit: legimus enim penes Anonymum Scriptorem Cronici Saraceni Siculi an. 927 ab inducias constitutas inter Calabros, et Saracenos datum obsidem Leonem Episcopum Siculum. Sic quoque invenitur

Decreto Sisinnii Patriarchæ Cui anno ex Pirro 994 subscriptus Leo Metropolita Catanensis. In Capitulis Confraternitatis S. Mariæ Neopactitessæ sacratissimi nostri Metropolitæ Panhormitani fit mentio anno 1048. Normanni Nicodemum invenerunt Archiepiscopum Panhormiensem ex Malaterna anno 1071 Memoratur etiam Humbertus Archiepiscopus Siculus in Concilio Romano anno 1049 quem S. Leo 9, uti testatur Lanfrancus „ de Lotharingia traduxit, et ad prædicandum Siculis verbum Dei Archiepiscopum ordinavit „ certum ipsum hic parum immoratum fuisse; num autem noster Episcopus incertum Cantelius de ipso hæc habet „ Humbertum et pietate, et doctrina, et in rebus gerendis prudentia perillustrem sibi vindicant Panormitani: constat quidem a Leone 9 missum in Siciliam, et Archiepiscopum fuisse; cujus sedis incertum est: fidei prædicandæ causa in Siciliam missum suspicor, mox revocatum Romam, ubi gravissimis perfunctus muneribus legationem ad gærcos obiit „ Diss. 5. de Sicilia c. 5. n. 3. ipsa denique Nicodemi

ætate Ecclesiam Siculam illustravit Theophanes Cerameus, qui et sub Saracenis, et sub Nortmannis vixit Archiepiscopus Tauromenii, cujus illud memoratu dignum est, quod in homilia coram Rogerio habita legitur „ quatenus multimodis festum pius Imperator exornat et sua præsentia, et Archiepiscoporum adventu „ plures igitur tunc erat in Sicilia Archiepiscopi; nisi potius vox quam Scorsus traduxit Archiepiscoporum vertenda Archipræsbiterorum sive seniorum cleri.

§. 28.

Cur isti Episcopi Metropolitae

Cur autem omnes hujus tempestatis Episcopi dicuntur vicissim et Archiepiscopi et Metropolitæ? nisi quia tunc græco more unus pro altero titulo honoris gratia sustituebatur; vel quia Patriarchæ mittentes in Siciliam Episcopos, ut sibi eos magis divincirent, honorificis titulis decorabant: non enim scimus, nec probare possumus suffraganeas sibi Ecclesias habuisse. Sed quis scit num isti qui memorantur Archiepiscopi, et Me-

tropolitæ sub tanto Saracenorum jugo, ob difficillimum accessum et ad Pontificem, et ad Patriarcam Cnum facultatibus extraordinariis aucti essent: et etiam pro temporum, et fidelium necessitate alios Episcopos consacrandi potestate pollerent, ne forte successio Episcopalis inopinato cessaret? nec possumus explicare quomodo si fuerint isti Metropolitæ eorumque Ecclesiæ tali vel dignitate vel honore a Patriarchis Cnis insigniti, a posterioribus Nili et Andronici dispositionibus inter Episcopos recenseantur juxta a veterem Leonis Sapientis Episcopatuum descriptionem?

§. 29.

Forma Præsbiterii

Si perstitit successio Episcopalis permansit quoque Clerus sive quædam præsbiterii forma: Id satis innuit Malaterra loquens de Nicodemo „ cultum Christianæ Religionis pro posse exequebatur „ nam sine Clero hoc fieri non poterat, Clarius ipse Theophanes in verbis supra allatis „ Archipræsbiterorum adventu „ clarissime capitula Confraternitatis S.

Mariæ Neopaotitessæ quibus plures subscribuntur Sacerdotes, et Præsbiter sacriferorum, et Cantor.

Usus Sacramentorum, et cultus publicus

Præsbiterii existentiam et publicam vel privatam christianæ religionis professionem ostendunt et usus sacramentorum et solemnis cultus Dei et Deiparæ. Conradus Domenicanus in Cronica ad annum 1027 de Rege Meleuta hæc habet „ concessit Siculis Christianis ut audirent divina palam, et Secerdotibus ut portarent Corpus Crīsti ad infirmos „ ex hoc testimonio deducitur 1. publica missarum celebratio ideoque Eucharistiæ communio 2 publica SS. Viatici processio ideoque extremæ unctionis infirmis collatio 3. si nunc palam hæc fieri indultum ergo antea occulte omnia sacra peragebantur 4. si hæc fidelibus et præsbiteris existentibus Meleuta indulsit prius igitur baptisma, confirmatio, et sacra ordinatio occulte administrabantur. Denique in Capitulis S. Mariæ Neopachtessæ rem Christianam in Sicilia auctam legimus, et templa patentia, et liberum cultum Dei et Deiparæ ut sollemnitates processionum, et stationes, et

fidelium conventus statutis diebus, et publicam missarum celebrationem præcesque pro Ortodoxis Regibus Patriarcha, et Metropolita, pro vivis et defunctis. Hoc autem Religionis exercitium sive publicum sive occultum ipso sæculo decimo viguisse ex ipsis Capitulis arguitur „ non parum institerunt Antecessores nostri, ut simul convenirent, et locum constituerent sacrum ad efficiendum *illum* custodem perpetuum sacri cætus „ si ergo anno 1048 ita scribitur ergo ab antiquo cultus religionis agebatur. Sed inter tot christianæ pietatis, et Orthodoxiæ documenta nulla suspicandi ratio animum impellit ad inquirendum num Schismatici Orientales errores suos in Siciliam invexerint. Sed sicut quæsitum magnorum virorum de quo dixisse memini, ad Episcopos Siculos tantum hujus ætatis pertinere potest, ideo pauca sub nectimus.

Num Ecclesia et Episcopi Siculi Schismaticis infecti erroribus

§. 31.

Michael Cerularius Patriarca Cnus ab anno 1043 ad an. 1058 Schisma Photianum

renovavit auxitque pari superbientis animi consilio ut universalem Patriarchatum sibi pararet : hinc epistolam misit etiam ad Tranensem Episcopum in Apulia, aliasque nonnullas, in quibus calumnias iu latinos tanquam judaizantes evomuit. Errores autem quorum Romanam Ecclesiam incusat hnc redeunt: quia 1. ejunat in sabbathis quadragesimæ 2.et in ipsa non canit Alleluja: 3.quia vescitnr lacticiniis sauguine, et suffocato 4 quia utitur asimis cum Christus fermentatum adhibuerit quapropter latinos hæreticos Azymitas vocat. 5. quia simbolo particulam filioque addiderit. Tantæ temeritatis et ambitionis hominis errores confutandi provinciam Leo nonus damandavit Cardinali Umberto, qui et Constantitopolim se contulit, et scriptis, et voce Cerularium, Nicetam Monacum, et assec las confutavit et compescuit V.fleurium ad an. 1053 et 1054. Hisce expositis adnotare duxi 1. usque ad Michaelem Cerularium nullam quoad Episcopos Siculos Schismatis suspicionem 2. Umbertum, priusquam se Constantinopolim conferret, in Sicilia duos saltem

annos fuisse et tamen nullam in epistolis suis polemicis mensionem facit de hisce erroribus in Siciliam immisis 3 Cerularii errorem non in eo fuisse quod uteretur fermento, sed quod azimum materiam non aptam sacramento crediderit, et latinos azymitas vocaverit hæreticos: quamvis postea in epistola ad Patriarcham Antiochenum se tantum sollicitum ostenderet de particula filioque, et quæstionem de azymis, sicut olim Photius, adiaphoram judicaret.

4. Num Episcopi, et præsbiteri Græco-Siculi undecimi sæculi consecraverint infermento incertum est, et si consecraverint hoc erat ex vetusto more Siculo græco non vetito, nec indicium erat advæsisse Cærulario, qui azymum damnabat de quo nullum argumentum quoad Siculos. Documentum autem quod refert Joannius de div. offic. c. 12 de usu fermentati in Sicilia sub Rogerio Comite conjecturam redolet, quia Siculi Episcopi erant græci. Sed revera ad Siciliam non pertinet, et ut clarius pateat, integrum referam. „ Idem Apostolicus (Urbanus 2:) ante paucos dies

Alexium Imperatorem Constantinopolitanum per Nicolaum Abbatem Cryptæ ferratæ et Rogerium Diaconum conveniens paterna increpatione commonuerat: quod Christianis latinis, qui in sua provincia morabantur azymo immulari interdixerat: præcipiens in sacrificiis more græcorum fermentato uti (ex errore Cerularii) quod nostra religio omnino non habet Imperator vero increpationem ejus humiliter suscipiens ..... invitat eum ut veniens congregato Concilio Cno disputatio fieret .... Unaque Ecclesia unum morem teneret„ Malaterra l. 4. num. 13. penes Carusum T. 1. pag. 234. 5 Denique hac ætate vixit Theophanes Cerameus inter omnes Episcopos græco Siculos et ingenio et eloquentia præstantissimus, cujus adhuc extant homiliæ ex quibus possent si quæ irrepserint novitates in notescere. Attamen Franciscus Scorsus, qui e l it ejus homilias cum suis adnotationibus, enumerat catholicæ doctinæ cap ita in illis exposita vel antiquis vel recensioribus Schismaticis opposita adeo ut nec Schismatici nec Calvinistæ quidpiam proficere possint ex Theo-

phanis auctoritate „ De Sacrosanto Missæ Missæ sacrificio; de honore et invocatione Sanctorum, de adoratione Imaginum, ac præcipue Sanctæ Crucis de libero arbitrio; de fide cum bonis operibus conjungenda; de iisdem operibus, quæ grazia divina subnixa vitam promerentur æternam, de jejunio Ecclesiastico præsertim Sanctæ Quadragesimæ, de pænitentiæ sacramento, et confessione auriculari, de primatu Sancti Petri et Rom. Ecclesiæ, de ejusdem auctoritate in suis decisionibus.... quoad autem ad duos græcorum errores jam in Concilio Florentino damnatos. de processione Spiritus Sancti a Patre et Filio, et de animarum ante diem judicii beatitudine, nihil est in homiliis Theophanis. quod illos manifeste contineat: neque quod ad tuendos errores illos deduci aperte possit, quin etiam sunt dicta nonnulla, exquibus catholica dogmata confirmari possint.„ Proaem 5; §. 1. quamvis, ut ipse Scorsus ibidem animadvertit, quaedam ex ipsis dogmata non adhuc essent ab Ecclesia definita ipsius aetate.

Stetit igitur religio, stetit intemerata fides, et forma quaedam pro temporum angustiis, disciplinae. Agedum ad illam properamus aetatem Nortmannorum, sub qnibus caput extulit Insula, et Ecclesia Sieula amplitudine sua suisque reddita initiis gloriosius reflornit.

FINIS.





